Homeyer

DE SCHOLIIS VERGILIANIS ISIDORI FONTIBVS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIVS HOMEYER

EMMERTHALIENSIS

IENAE TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMXIII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Prof. Dr. Goetz.

JENA, den 9. Mai 1913.

Prof. Dr. B. Bauch,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS · CARISSVMIS

S

§ 1. Permulta scholia Vergiliana aliquo vinculo cum Isidori Hispalensis episcopi etymologiis differentiis de natura rerum libro coniuncta esse nemo non videt. Itaque iam Grialius, Arevalus, Otto, Becker editores Isidori librorum Serviana scholia in fontium episcopi numero habuerunt et notaverunt. Accuratius in hanc rem inquisivit Dressel dissertatione Gottingensi, quam ‚de Isidori originum fontibus' anno 1874 scripsit. Neque vero ad finem perduxit quaestionem, quippe cui nondum ad manus esset commentariorum in Vergilii carmina editio critica, unde dilucide posset perspici, quid de Servii genuinis et additiciis scholiis esset statuendum. Tamen de omnibus Servii commentariorum additamentis cum Isidori locis congruentibus valere idem iudicium negavit; nam alia ex Hispalensis episcopi libris in commentarios translata esse putabat, alia indolem prae se ferre scholiorum non inferioris aetatis. Sat autem habuit statuere aditamenta a Lionio uncinis inclusa interdum esse omissa ab Isidoro exscriptis Servii genuinis scholiis, interdum cum Servii verbis translata in etymologias. Praeterea in Isidori libris exstare admodum multos locos, qui e scholiis deperditis vel detruncatis fluxisse videantur, Dresselium minime fugit.

Nonnullis annis post quod desideraverunt Isidori fontium inquirendorum fundamentum cum Dresselius tum alii viri Vergilianis praecipue studiis dediti, Georgius Thilo comparavit publici iuris faciens anno 1881 ‚Servii qui feruntur in Vergilii carmina commentariorum' vol. I. Qui vir doctus librorum manuscriptorum scientia plena instructus de illis similitudinibus, quae exstant inter Isidori libros et scholia Servii et Servii Danielis, quem dicebat, praef. p. XXXVIII sqq. ita iudicavit, ut eos Servianos locos diceret esse exscriptos ab Isidoro, ubi simili-

tudo et ad rem et ad verba pertineret; reliquorum congruentiam locorum, qui rem tantum similiter tractatam praeberent, ad fontem communem revocavit, cum inde a Dresselio constaret perpauca in auctorum verbis ab Isidoro esse mutata. Aliter autem esse explicandas eas similitudines, quae sunt inter Isidorum et Servium Danielis idem Thilo sibi persuasit. Nam satis multa scholia pleniorum librorum ab Isidoro ita esse adhibita, ut Servii tantum verba nunc exhiberet, quamquam Servii Danielis additamenta non indigna videri potuissent, quae in etymologiarum libros insererentur. Ea autem Isidoriana, quae similia sunt D(an.) S(ervii) scholiis, aut ex eisdem auctoribus utrumque hausisse putat aut ex Isidori libris esse transcripta. Tamen aliquot locos fluxisse e DS scholiis in Isidori libros ipse concedit, scilicet e scholiis ad eos Vergilii versus pertinentibus, de quibus Servius aut ipse nihil dixerit aut verba fecerit ab Isidoro neglecta. Tales qui circumscribit sententiae suae fines, opinionis praeindicatae suspicionem excitare necesse est. Inde enim profectus quod falso iudicavisse Ribbeckium proleg. p. 104, ed. IV p. X putabat Servium, quem vocamus vulgatum vel breviorem, esse decurtatum commentariorum Servii genuinorum exemplar, quod plenius exhiberet DS, sibi proposuit, ut DS scholia esse aliena a Servio breviore demonstraret, posteriore potius aetate addita ideoque non simul cum Servianis ab Isidoro exscripta.

Quam a Thilone de S et DS scholiis sententiam prolatam eodem anno, quo commentariorum vol. I publici iuris factum est, reprehendit qui huius editionis censuram scripsit Henricus Nettleship in ephem. philol. vol. 10 a. 1881 p. 153 sqq. DS scholia enim cum ei viderentur aequare Servium genuinum, non esse discernenda utraque contendens opinionem tralaticiam servavit; immo additamentis exhiberi putabat pleniorem Servii commentarium. Itaque Thilonem recte coniecisse ex Isidoro fluxisse DS scholia negavit. Deinde maluit fontes communes ad manus fuisse Isidoro et scholiastis Vergilianis quam quod Thilo statuerat Isidorum pendere a commentariis. Tam enim diversam etymologiarum librorum et scholiorum indolem esse dixit, ut verisimile non esset episcopum sua congessisse e scholiorum farragine sine alio quam quem versus poetae postularent ordine cumulata; quam sententiam adiuvari sibi persuasit exemplis

quibusdam iam a Thilone propter Isidori pleniorem vel paulo diversum a Servii contextum ad fontem communem revocatis. Potius Verrii Flacci, Suetonii, Plinii copiis usum esse Isidorum contendit. Nettleshipio assensus est Gustavus Laemmerhirt, qui anno 1890 dissertationem comm. philol. Ien. vol. IV insertam scripsit ‚de priscorum scriptorum locis a Servio allatis'. Quod quidem ad Plinii historiae naturalis locos attinet ita a Servio et Isidoro allatos, ut affinitas inter utrumque quaedam statuenda sit, Laemmerhirt putat p. 377 sqq. alios hausisse Isidorum neque e Servio neque e Plinio, sed utrumque e commentario antiquiore quam Serviano, alios tamen exscriptos esse e Servii scholiis non negat. Iam videmus circumcidi Nettleshipii sententiam. Quam prorsus reiecit Arno Schenk in dissertatione Ienensi a. 1909 scripta ‚de Isidori Hispalensis de natura rerum libelli fontibus', quae etiam etymologiarum librorum rationem habuit. Arbitratus (p. 54) raro ad fontes primarios redisse Isidorum, qui non dubitaret ex alio auctore petita cum aliunde haustis verbis conglutinare, id demonstravisse dicit Thilonem exscripta non esse scholia nisi Serviana. Aliter re vera iudicavisse Thilonem et supra ostendimus et monuit Paulus Wessner in censura dissertationis Schenkianae, quam inseruit script. hebd. Berol. 1910 col. 817 sq.; ibidem pro certo habet praeter Servium, quem nescit an neglexerit Isidorus, alia commenta Vergiliana esse adhibita ab episcopo.

Interea alii viri docti, qui aliquo modo Isidori libros tractabant, satis habuerunt Serviana ab episcopo exscripta scholia probare, velut Sadée in progr. Friburg a. 1883 inscripto ‚de fragmentis Frib. libri cuiusdam manuscr. etym. Isidori', Klussmann in ‚excerptis Tertullianeis in Isid. Hisp. Etym.' Hamburgi 1892, Kuebler in ‚studiis Isidorianis' Hermae 25, 1890 p. 505 sqq. secutus Dirkseni commentationem ‚de Isidori fontibus iuris Romani' insertam scriptis a Dirkseno relictis (vol. I Lips. 1871).

Nuper autem nova de nostra quaestione protulit Carolus Barwick, qui in philologi vol. 70 (1911) p. 106 sqq. de ratione, quae inter Servium et Servium Danielis intercedat disputavit; ostendit DS scholiis exhiberi commentarium ab uno homine anno fere 400 conscriptum, septimo saeculo cum Serviano coniunctum.

Itaque scholia cum Isidori locis congruentia ex Isidoro esse sumpta negat, immo e fontis communione esse explicandum talem consensum putat; idem iudicat de eis locis, quos Thilo concedit Isidorum debere DS scholiis. Nec aliter atque Barwick de hac quaestione sentit Ioannes Philipp, cuius libellus inscriptus ‚die historisch-geographischen Quellen in den etymologiae des Isidorus von Sevilla' (Quellen und Forschungen zur alten Geschichte und Geographie ed. Sieglin vol. 25 1912 Berol.) sero in manus meas venit hanc dissertationem conscribenti. Sed quamvis in scholia quoque inquisiverit Philipp, rem non expedivit, quantum quidem ex priore fasciculo commentationis adhuc tantum publici iuris facto potuit cognosci, praesertim cum paucos etymologiarum libros in examen vocaverit. Contra Thilonem verisimile esse negavit DS scholia fluxisse ex Isidoro; immo et Isidorum et DS pendere ex eodem fonte contendit, ex commento Vergiliano Aelii Donati deperdito. Idem de ceteris praeter Serviana, quae exscripta esse ab Isidoro statuit, scholiis Vergilianis iudicat, velut de explanationibus Filargirii in Bucolica, de brevi expositione Georgicorum, de Probi commentariis in Bucolica et Georgica, de scholiis Veronensibus et Bernensibus.

Haec visa sunt praemittenda quaestioni ipsi, quam ut post tale agmen virorum doctorum retractarem movit praecipue pondus, quod sibi exposcunt Isidori libri, receptacula multo antiquioris doctrinae adhuc ex parte tantum auctoribus restitutae. Qua in re haud ita profuit editio etymologiarum, quam diu exoptatam comparavit (1910) Lindsay, quippe qui brevitati consulens nisi hic illic fontes non indicaverit. Quod si continget, ut feliciter quaestio absoluta videatur, quantum ad commenta Vergiliana attinet ab Isidoro in usum vocata, fore spero, ut fructum capiant ex nostra disputatione etiam scholia nunc Barwickii aliorumque opera ex tenebris medii aevi sublata optimisque scholiastarum temporibus reddita.

§ 2. Priusquam autem singula scholiorum genera persequar, omnino Isidorum Vergiliana adhibuisse commenta demonstrandum est. Reiecit enim, ut supra diximus, hanc sententiam Henricus Nettleship, contra quem iam verba fecit Schenk

l. c., neque vero apta argumenta attulit, unde eluceret Nettleshipium erravisse. Eiusmodi autem dubitatio cum plane tollenda sit, ne certo careat fundamento tota quaestio, diligentius liceat in hanc rem inquirere. Offendit Nettleship in alio tenore atque pleniore contextu, quem Isidori verba praebere dixit p. 161 sqq.

Nonnulla exempla affert ad sententiam suam confirmandam, velut haec:

S(ervius) buc(ol.) 3. 8	Is(id. etym.) XII 1. 14
hirqui autem sunt oculorum anguli secundum Suetonium Tranquillum in vitiis corporalibus.	Hircus lascivum animal et petulcum et fervens semper ad coitum; cuius oculi ob libidine in transversum aspiciunt, unde et nomen traxit. Nam hirqui sunt oculorum anguli secundum Suetonium (Prat. 171); cuius natura adeo calidissima est, ut e. q. s.

Nettleshipium effugisse videtur verba ‚hircus-coitum' apud Hieronymum exstare (M[igne] 26 p. 189 B. 209), quem constat aliis locis ab Isidoro esse exscriptum; neque est, cur hic aliunde pendere Isidorum putemus. Ex eodem Hieron. M 25 p. 1074 B. 330 fluxerunt, quae de calida hircorum natura Isidorus dicit. Quae restant ‚cuius oculi-traxit' concedo non prorsus eadem in Serviano scholio exstare. Suetonii autem verisimile non est plura esse quam ‚hirqui' vocabulum, quod tantum ei tribuit Reifferscheid p. 272. Et cum Isidori verba prope accedant ad poetae versum et priorem scholii partem a Nettleshipio neglectam, probabilis coniectura est Isidorum adhibuisse vel hoc vel antiquius scholium; cf. ‚transversa tuentibus hircis] hircos, id est capros, libidinosa constat esse animalia, ... hinc est ‚transversa tuentibus hircis', id est vestram turpitudinem indignantibus; alii hoc improbant et legunt ‚hirquis' — nam hirqui e. q. s.'

S buc. III 105 conferens cum Is. XI 1. 64 non vidit Nettleship Isidorum pendere ex alio scholio, S georg. 3. 355, cuius verba expressit. Alium locum e Verrio Flacco fluxisse putat Nettleship; cf. haec

S Aen. 1. 12	Is. XV 2. 3
urbs dicta ab orbe, quod antiquae civitates in orbem fiebant vel ab urvo, parte aratri, quo muri designabantur.	Urbs vocata ab orbe, quod antiquae civitates in orbem fiebant; vel ab urbo parte aratri, quo muri designabantur; unde est illud (Verg. Aen. 3. 109; 1. 425): ‚optavitque locum regno et concludere sulco‘. Locus enim futurae civitatis sulco designabatur, id est aratro. Cato (Orig. 1. 18): ‚Qui urbem', inquit, ‚novam condit', e. q. s.

Quibuscum conferas Festi verba p. 514. 22 (Lindsay), quae significat Nettleship: ‚Urvat Ennius in Andromeda significat circumdat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda urvo aratri, quae fit forma simillima uncini curvatione buris et dentis, cui praefigitur vomer e. q. s.‘ Serviana verba ipsa apud Isidorum redeunt, quem minime opus est putare ex eodem fonte sumpsisse Catonis verba, unde Servianis congruentia. Praeterea qui cum eis contulerit S Aen. 5. 755, DS Aen. 4. 212, Don. Terent. Adelph. IV 2. 44, facile concedet scholia multo similiora esse Isidoriano loco quam Festi verba. Neque in eo offendi potest, quod Isidorus versum affert, qui apud Vergilium non invenitur; haud difficile talis erroris causa repetitur e scholio ad hunc versum adscripto: Aen. 1. 425: ‚pars optare locum tecto et concludere sulco‘. optare] eligere, ut (Aen. 1. 76): ‚tuus o regina quid optes‘ *et (Aen. 3. 109) ‚optavitque locum regno‘.* (Verba, quae cursivis litteris dedi, sunt Danielis Servii); adde S Aen. 3. 109: optavitque] elegit, ut (Aen. 1. 425): ‚pars optare locum‘. Praeterea et scholiastae depravaverunt (cf. S Aen. 2. 408, S Aen. 1. 726 ubi Servius tribuit Persianum versum Iuvenali) poetarum versus et Isidorus; cf. XIV 8. 9, ubi versum Lucani Vergilianum esse putat.

Ex eodem scholio Serviano Aen. 1. 12 affert Nettleship verba cum Is. XV 1. 30 congruentia, quae cum apud Isidorum in pleniore contextu legantur, negat ex illo scholio esse hausta. Quae argumentatio non viget, quia ceteros huius particulae fontes invenimus neque tam arte inter se cohaerent verba Isidori, ut his locis diffidas:

Is. XV 1. 30

,Ex his (i. e. ex Phoenicibus) profecta et Dido in litus Africae urbem condidit et Carthadam nominavit; quod Phoenica lingua exprimit civitatem novam; mox sermone verso Carthago est dicta: hanc Scipio delevit. Quae autem nunc est, postea a Romanis condita est. Carthago autem antea Byrsa, post Tyrus dicta est, deinde Carthago'.

Solin. 27. 10: ,urbem istam.... Elissa mulier extruxit.. et Carthadam dixit;. quod Phoenicum ore exprimit civitatem novam. mox sermone verso in morem Punicum et haec Elisa et illa Carthago dicta est'. S Aen. 1. 12: ,et eam deleverat Scipio Aemilianus. quae autem nunc est, postea a Romanis est condita'. S Aen. 4. 670: ,... Carthago ante Byrsa, post Tyros dicta est, post Carthago a Cartha oppido' e. q. s.

Cum primis Isidori verbis, quae antecedentibus paragraphis respondent velut § 28: ,Phoenices a Rubro profecti mare Sidonem urbem opulentissimam condiderunt .... ipsi .... aliasque urbesque in ora maritima condiderunt' conferas Hier. Vallars. II p. 310 B: ,Dido ... in Africam navigavit ibique urbem Carthaginem condidit' et cum Isid. IX 2. 116 sq., cum tota illa satis brevi historia Carthaginis ea, quae Iustinus 18. 3 sqq. et 19. 1 sqq. tradit; etsi multa e Iustini libro sumpsit, tamen hoc loco etiam Trogi epitoma paene nimis coacta copiosior fuit, quam qua uteretur Isidorus; ad historiam Carthaginis adumbrandam idonea visa sunt Solini collectanea rerum memorabilium et scholia, quibus Servius paucis verbis complectebatur, quae historiarum scriptor nisi pluribus capitibus non potuit narrare.

Componere tantum sufficit hos locos:

S Aen. 1. 62

,foedere] modo lege, alias pace, quae fit inter dimicantes. Foedus autem dictum vel a fetialibus, id est sacerdotibus, per quos fiunt foedera, vel a porca foede, hoc est lapidibus occisa, ut ipse (Aen. 8. 641) ,et caesa

Is. XVIII 1. 11

foedus est pax, quae fit inter dimicantes, vel a fide, vel a fetialibus, id est sacerdotibus, dictum. Per ipsos enim fiebant foedera sicut per saeculares bella.

iungebant foedera porca'. S et DS Aen. 8. 641: ,foedera, ut diximus supra (Aen. I 62) dicta sunt a porca foede et crudeliter occisa; *nam cum ante gladiis configeretur a fetialibus inventum, ut silice feriretur ea causa, quod antiqui Iovis signum lapidem silicem putaverunt esse. Cicero foedera a fide putat dicta. sed huius porcae* mors optabatur ei qui a pace resilisset.	Alii foedera dicta putant a porca foede et crudeliter occisa. cuius mors optabatur ei qui a pace resilisset. Vergilius (Aen. 8. 641.) ,Et caesa iungebant foedera porca'.

Apparet minime ,foederis' etymologias particulis ,vel vel' inter se coniunctas exstare debuisse in eodem fonte; ascivit alteram Ciceronianam e DS scholio. Verba quae sunt ,sicut per saeculares bella' errore quodam inductus aliunde hausta hic inseruit, nisi ipse excogitavit addiditque. A certa autem ratione abhorrere mihi videtur, si quis tali et rerum et verborum consensui fidem abrogans de alio fonte cogitet, quem quantum e Pauli verbis a Nettleshipio allatis conici potest, alia verba verisimile est praebuisse; cf. Paul. F. p. 74. 3. ,foedus appellatum ab eo, quod in paciscendo foedere hostia necaretur. Vergilius: et caesa iungebant foedera porca. Vel quia in foedere interponatur fides.' Quae verba sumpsisse Isidorum e Suetonio Nettleship putat, quippe cuius nomen in sequenti capite occurrat.

Nonnulla liceat conferre exempla, ubi maiorem cum Plinio quam cum scholiis congruentibus similitudinem Isidori locorum exstare ei demonstrandum est, qui putat Isidorum pendere e Naturali historia potius quam e similibus Servii vel Servii Danielis adnotationibus.

S Aen. 1. 435	Is. XII 8. 2	Plin. 11. 70.
,Secundum Plinium apum multa sunt genera, proprie tamen	propria tamen apes vocantur ortae de bobus, sicuti scrabo-	sicut equorum vespas atque crabones, sicut asinorum

apes vocantur ortae de bubus, fuci de equis, crabrones de mulis, vespae de asinis‘. S geo. 4. 286: sane sciendum Plinium dicere de bubus apes, de equis crabrones, de mulis fucos, de asinis vespas creari.	nes de equis, fuci de mulis, vespae de asinis.	scarabaeos, mutante natura ex aliis quaedam in alia.
S geo. 2. 151 ut enim dicit Plinius, animalia haec, quae sunt cum acutis unguibus, frequenter parere non possunt; vitiantur enim intrinsecus se moventibus pullis;	Is XII 2. 9 nam Plinius dicit animalia cum acutis unguibus frequenter parere non posse; vitiantur enim intrinsecus se moventibus catulis.	Plin. 8. 43 ‚semel autem edi partum lacerato unguium acie utero in enixu, volgum credidisse video.
DS Aen. 11. 89 ‚*Plinius solum equum praeter hominem lacrimare et doloris adfectum sentire dicit*‘.	Is. XII 1. 43 ‚solum enim equum propter hominem lacrimare et doloris affectum sentire‘.	Plin. 8. 157 lacrimas interdum desiderio fundunt.

Hic consensus non potest explicari nisi scholia ab Isidoro exscripta ponuntur. Nam quis contendat ab utroque scriptore Plinii ipsius verba eodem modo esse mutata? Iam Laemmerhirt l. c. p. 377 accuratius disserens de ratione, quae intercedat inter scholia Servii, Plinium, Isidorum, etsi quod vult Nettleship Isidoro et Servio solum communem fontem ad manus fuisse probat, tamen nonnullis Plinianis cum Servio et Isidoro locis collatis nihil posse ostendi concedit nisi Servium esse exscriptum. Quid? quod reliquos Isidori locos ad Plinium spectantes non e Naturali historia ipsa, sed e commentario posteriore esse hausta putat. Itaque qui initio Nettleshipii opinionem probaverat, prorsus eam profligavit, quod quidem ad Plinium attinet. Quam-

quam parum recte negavit Laemmerhirt omnino esse ab Isidoro Plinii libros adhibitos, id quod ipsum puto cogniturum fuisse, si inspexisset libellum anno ante publici iuris factum, quem scripsit Ricardus Gropius de Isidori etym. XIII 13 (progr. Weilburg.): certum est huius capitis maximam partem Isidorum recta via e Plinio hausisse.

Paucos tandem locos afferam, quae ita cum scholiis congruunt, ut difficillime aliunde fluxisse putari possint, etsi scholiorum fontes latent.

S Aen. 7. 678

Nec Praenestinae fundator defuit urbis] de civitatibus totius orbis multi quidem ex parte scripserunt, ad plenum tamen Ptolomaeus graece, latine Plinius. De Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in originibus. apud omnes tamen si diligenter advertas, de auctoribus conditarum urbium dissensio invenitur, adeo ut ne urbis quidem Romae origo possit diligenter agnosci. nam Sallustius dicit (Cat. 6. 1): ‚urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani et cum his Aborigines‘; alii dicunt ab Euandro, secundum quos Vergilius (Aen. 8. 313) . . . ., alii a Romulo, ut (Aen. 6. 781) . . . . Si igitur tantae civitatis certa ratio non apparet, non mirum si in aliarum opinione dubitatur. unde nec historicos nec commentatores varia dicentes imperitiae condemnare debemus; nam antiquitas ipsa

Is. XV 1. 1 sq.

‚de auctoribus conditarum urbium dissensio invenitur, adeo ut nec urbis quidem Romae origo possit diligenter agnosci‘. Nam Sallustius dicit (Cat. 6): ‚Urbem Romam, sicuti ego accepi, condere atque habitare initio Troiani et cum his Aborigines‘. Alii dicunt ab Evandro, secundum quod Vergilius (Aen. 8. 313) . . . . Alii a Romulo, ut (Aen. 6. 781) . . . . Si igitur tantae civitatis certa ratio non apparet, non mirum, si in aliarum opinione dubitatur. Unde nec historicos nec commentatores varia dicentes imperite condemnare debemus, quia antiquitas ipsa creavit errorem. Sane

creavit errorem, et plerique fundant, plerique augent et ad se transferunt nomina'. e. q. s.

quasdam, de quibus aut Sanctae Scripturae aut historiae gentium certam originem referunt, paucis admodum verbis retexere oportet. Primus ante diluvium Cain' e. q. s.

Ad quemnam scriptorem haec referat Nettleship nisi ad scholiastam, cuius propria ea esse patet? Neque alius est tenor neque plenior contextus; immo ubi a scholii verbis discedit, sua profert episcopus. Perinde atque hic res se habet Is. XI 3. 34 sq., ubi ad S Aen. 6. 287 verba adnectit exemplum ex Ambrosio petitum. Alii multi huius modi loci inveniuntur.

Tandem hoc conferas exemplum, cuius verba alio loco atque in scholio Vergiliano exstitisse vix credideris:

Is. XIV 8. 18
Alpes autem proprie montes Galliae sunt. de quibus Vergilius (geo. 3. 474): ,aerias Alpes'; et dicendo aerias verbum expressit a verbo. Nam Gallorum lingua ,Alpes' montes alti vocantur. Haec sunt enim quae Italiae murorum exhibent vicem.

S geo. 3. 474: ,aerias Alpes', id est Galliam. et dicendo ,aerias' verbum expressit ex verbo. nam Gallorum lingua alti montes Alpes vocantur. S Aen. 6. 830: haec enim Italiae murorum exhibent vicem.

Cf. S Aen. 4. 442 ,Alpini boreae' flantes de Alpibus, quae Gallorum lingua alti montes vocantur, et S et DS Aen. 10. 13 . . . quae secundum Catonem et Livium muri vice tuebantur Italiam . . . . *sane omnes altitudines montium licet a Gallis Alpes vocentur, proprie tamen iuga montium Gallicorum sunt.*

Elucet exemplis quae attuli Isidorum ipsa, non eorum fontes exscripsisse; neque vero dubito concedere nonnulla episcopum hausisse ex eisdem libris, qui ad manus erant scholiastis. Tamen quod de paucis locis valet iudicium, minime de omnibus probatum est. Recte enim dicit Schenk l. c. Isidorum non eum esse, qui semper ad fontes principales redeat. Constat Isidorum usum esse Solino Plinii, Gargilio Martiale Plinii et Dioscoridis excerptoribus, Iustino Pompei Trogi epitomatore, Faventino, qui

Vitruvii libros coartavit, Palladio, qui Columellae opus in augustum coegit. Etsi interdum etiam eos libros adhibuit, quos illi coartaverunt, tamen verisimilius est Isidorum adiisse Festum quam Verrium Flaccum, ut putat Nettleship; nam quamvis contractae, etiam Festi particulae saepe tam copiosae sunt, ut certe, quas ille ante oculos habebat, minus aptae fuerint, quam quas exscriberet Isidorus.

§ 3. Postquam omnino ipsa scholia, non solum eorum fontes ab Isidoro adhibita esse ostendimus, altera oritur quaestio, quibusnam commentariis usus sit, utrum eis, quos nunc habemus an aliis, nimirum antiquioribus. Iam Dressel (l. c. p. 55) persuasum habuit Isidoro praeter Serviana alia quoque deperdita scholia ad manum fuisse, cuius sententiae satis firma argumenta affert. Etiam Laemmerhirt dubitat Nettleshipii opinioni fines circumscribens, utrum Isidorus sua sumpserit e Servii ipsius scholiis an ex antiquioribus. Pauca saltem negare non potest exempla ad Plinium spectantia esse exscripta e Servio. Wessner tamen l. c. reprehendens Schenkium, qui recte de DS scholiis neglectis iudicavisse Thilonem dicat, ad illius verba revocat, quibus Isidorum et DS communi fonte usos esse concedat. Thilo enim p. XLIV eorum locorum, quos ab Isidoro e pleniore commentario exscriptos esse exposuerat, paucos potius ad fontis communionem refert. Quorum in numero fontium cum Donati commentarius Vergilianus habendus sit (cf. Thilonis praef. p. XXI sq.), unde etiam Servium permulta exscripsisse constat, quaerit Wessner, num omnino Serviana commenta inspexerit Isidorus, addens difficile id fore cognitu. Contra affirmari potest Isidorum in rem suam convertisse Serviana commenta. Argumento sunt illa exempla, ubi et S et DS scholium est servatum, ex parte enumerata a Barwickio l. c. p. 132, cf. p. 121 sq. Nam ubicumque similia praebent S et DS, manifestum est utrumque cum eodem fonte cohaerere, cum Donato, ut videtur, quod pro certo habendum est, ubi Filargirii scholium congruens accedit, quem ipsum quoque a Donato pendere ostendit idem Barwick in diss. Ienensi (Comm. philol. Ien. vol. VIII. fasc. 2. 1909) p. 121 sq. Conferantur inter se haec exempla:

S Aen. 2. 21
‚Tenes quidam infamatus quod cum noverca concubuisset, hanc insulam vacuam cultoribus tenuit: unde Tenedos dicta est. ideo ergo ait notissima fama.‘ sic Cicero (in Verr. act. II l. I 19. 49): ‚Tenen ipsum cuius ex nomine Tenedos nominatur.‘

Is. XIV. 6. 23
‚nam Tenes iste infamatus quod cum noverca sua concubuisset, fugiens hanc insulam vacuam cultoribus obtinuit; unde et Tenedos dicta est.‘ Sic Cicero (ib.): ‚Tenen ipsum, cuius ex nomine Tenedos nominatum.‘

DS Aen. 2. 21
Tenedos] *insula est contra Ilium, quae ante Leucophrys dicta est; nam Tenes, Cycni filius, infamatus a noverca quod cum ea voluisset concumbere, cultoribus vacuam tenuit; unde Tenedos dicta est. alii dicunt, quod se propter supra dictam causam ex ipsa insula in mare praecipitaverit* e.q.s.

S Aen. 10. 350
‚Boreae . .] . . . aut certe in Hyperboreis montibus natos, unde est origo venti Boreae.‘

Is. XIII 11. 13
‚idem et Boreas, quia ab Hyperboreis montibus flat, inde enim origo eiusdem venti est.‘

DS Aen. 10. 350
. . . . *initium flandi Boreas concipit* (*ab Hyperboreis montibus*) [suppl. Thilo].

S Aen. 3. 452
Inconsulti] inscii rerum, ignari, sine consilio. et consultus est qui consulitur, inconsultus qui non accipit consilium.

Is. X 39
consultus est, qui consulitur; cui contrarius est inconsultus, qui non accipit consilium.

DS Aen. 3. 452
Inconsulti] *sine responso, quibus consultum non esset, ut inconsultos incautos dicimus, qui sine consilio aliquid adgrediuntur.*

S geo. 3. 148
οἶστρος autem Graecum est: latine asilus, vulgo tabanus vocatur.

Is. XII 8. 15
oestrus autem Graecum est, qui Latine asilus, vulgo tabanus vocatur.

DS geo. 3. 146*)
Nigidius de animalibus: asilus est musca varia, tabanus, bubus maxime nocens. hic

*) de scholiis additiciis cod. Vaticani georg. inde a l. 1. 280, quae DS attribui, cf. p. 44.

apud Graecos prius μύωψ vocabatur, postea (a) magnitudine incommodi oestrum appellarunt.

Adde schol. Bern. geo. 3. 147: asilo] muscam variam Nigidius dicit eum esse et eum ‚tabanum‘ bobus maxime nocentem.

S geo. 2. 519	Is. XX 14. 12	DS geo. 2. 519
‚trapetis‘ autem molis olivaribus.	trapetum mola olivarum (plur. codd.: olivaria).	*‚trapetis‘ autem molis lapideis, ubi oliva molitur.*

Adde schol. Bern. geo. 2. 519: ‚trapetis‘ molis olivariis. ‚Trapeta‘ saxa sunt, quibus oliva frangitur, a ‚trahendo‘ dicta; et brev. Expos. ib.: ‚trapetis‘ molis olivariis. . . . ‚Trapeta‘ autem saxa trahendo dicta, quibus frangitur oliva.

S Aen. 9. 672	Is. XIX 19. 8	DS Aen. 9. 672
commissura enim dicitur tabularum coniunctio.	commissura dicitur tabularum coniunctio.	*unde et commissurae dicuntur coniunctiones tabularum.*

Cf. eiusdem Isidori capituli particulas: trabes, tigna, coplae, luctantes, agrantes, asseres, scindulae, epigri, clavi, tabulae al., unde vides Isidorum non singularem numerum posuisse, ubi pluralem inveniebat verbi tractandi. Praeterea conferas S et DS Aen. 1. 12 cum Is. IX 4. 36, S et DS Aen. 3. 361 cum Is. XII 7. 77. Ceterum non mirum, si huiusmodi exempla non ita multa occurrunt, cum ei homines, qui S et DS scholia inter se conexuerunt, id maxime spectaverint, ut interpretamenta eisdem lemmatis adscripta ideoque inter se saepe simillima in unum conflarent; qua in re solebant DS verba omitti congruentia cum Servianis, quippe quae vulgatis, id est vere Servianis codicibus collatis facile servarentur. De tota re, quam sagaciter tractavit Barwick l. c., infra, quantum ad nostram quaestionem pertinet, agetur. Hic addendum est eis, quae modo adumbravi casu evenisse, ut Isidorus illa scholia a S et DS simili modo exhibita neglegeret.

Ii autem loci huc referri possunt, ubi Isidorus exscripsit

Servianum commentum, quocum congruens DS scholium ad alium versum adscriptum legitur, velut hi:

S geo. 3. 196	Is. XIV 8. 7	DS geo. 3. 381
Hyperborei montes sunt Scythiae, dicti quod supra, id est ultra eos flat Boreas.	Hyperborei montes Scythiae, dicti quod supra id est ultra eos flat Boreas.	*et ,Hyperboreo' propterea, quia regio, quod septemtrioni subiacet, Hyperborea vocatur ab eo, quod flatus Boreae excedat.*
S Aen. 1. 39	Is XIX 1. 15	DS Aen. 6. 1
classis enim dicta est ἀπὸ τῶν κάλων i. e. a lignis, unde et calones dicuntur qui ligna militibus portant.	classis dicta est a Graeco vocabulo, ἀπὸ τῶν κάλων, i. e. lignis; unde et calones naviculae, quae ligna militibus portant.	. . *classis dicitur* (*vel*) *quod fiat de fustibus. calas enim dicebant maiores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad proelium, unde etiam calones dicebantur* e. q. s.
S geo. 3. 330	Is. XV 8. 16	DS geo. 4. 265
sane ,canalis' melius genere feminino quam masculino proferimus.	sane canalem melius genere feminino quam masculino proferimus.	*Varro divinarum libro VI canales eas dispescit † templa feminino genere canales dixit.*
S et DS Aen. 4. 242	Is. VIII 11. 47 sq.	DS Aen. 8. 138
Mercurius et orationis deus dicitur et interpres deorum, unde virga serpentes dividit, i. e. venena. nam *serpentes ideo introrsum spectantia capita habent, ut significent inter se legatos colloqui et convenire debere, quia*	virgam tenet, qua serpentes dividit, i. e. venena. nam	*Mercurius . . . auctor eloquentiae et lyrae, internuntius deorum . . . . . caduceum illi ideo adsignatur, quod fide media hostes in amicitiam conducat: quae virga ideo serpentibus inligata est, ut sicut illi obliti veneni sui in se co-*

bellantes interpretum oratione sedantur; unde secundum Livium legati pacis caduceatores dicuntur: sicut enim per fetiales, *a foedere,* bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat. *quibus caduceis duo mala adduntur, unum Solis, aliud Lunae. sane de ipsis serpentibus haec opinio est † Mercurius haec tam fera animalia concordent, nos quoque concordare debere.* Ἑρμῆς autem Graece dicitur ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, Latine interpres.

bellantes ac dissidentes interpretum oratione sedantur; unde secundum Livium legati pacis caduceatores dicuntur. sicut enim per fetiales bella indicebantur, ita pax per caduceatores fiebat.

Hermes autem Graece dicitur ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, Latine interpres.

eunt, ita hostes contemptis et depositis inimicitiis in amicitiam revertantur.

Exemplum modo exscriptum ex eis est, quae a Thilone p. XXXIX congesta in hac quaestione diiudicanda magni sunt momenti. De quibus ille ib. ‚nam satis multa', inquit, ‚scholia, quae in Danielis libris pleniora sunt quam in vulgatis, ita ab Isidoro in originum libros adsumpta esse videmus, ut nihil receptum sit nisi quod hodie quoque in vulgatis libris exstet, quamquam ea quae plenioris commentarii auctor vel inseruerit vel addiderit ita comparata sint, ut Isidorus si plenius exemplar habuisset ea non videatur omissurus fuisse.'

Maxime praeter Thiloniana exempla idoneum, quod huc iterum ponatur, est hoc:

S et DS Aen. 8. 641	Is. XVIII 1. 11
foedera, ut diximus supra (Aen. 1. 62) dicta sunt a porca foede et crudeliter occisa; *nam cum*	foedus .... a fide .... dictum. ... alii foedera dicta putant a porca foede et crudeliter occisa

ante gladiis configeretur, a fetialibus inventum ut silice feriretur ea causa, quod antiqui Iovis signum lapidem silicem putaverunt esse. Cicero foedera a fide putat dicta. sed huius porcae mors optabatur ei qui a pace resilisset.	cuius mors optabatur ei qui a pace resilisset. Vergilius (Aen. 8. 641) ...

Isidorus exscripsit Servianum scholium, etsi verisimile est eum ante oculos habuisse etiam plenius commentum, unde potuit haurire ‚foederis' etymologiam a ‚fide' factam, quam aliunde atque ex hoc scholio fluxisse verisimile non est. Dubitari igitur non potest, quin Isidorus Serviana scholia in suum usum vocaverit. Atque etiam commentarios cum Isidori libris comparantem non effugiet multa Servii scholia ab episcopo exscripta Thilonem non adnotavisse.

§ 4. Iam accedimus ad summam quaestionis, nimirum ad eam rationem cognoscendam, quae inter Isidorum et Danielis Servium intercedat. Cuius in disputationis prima parte videamus, num Thilo praef. p. XLIII recte contenderit nonnulla DS scholia fluxisse ex Isidori libris, deinde hac sententia reiecta num Isidorus his scholiis ipsis usus sit.

In illa uberrima dissertatione de Isidori originum fontibus hanc quoque quaestionem Dresselius tractavit et quidem caute, ut parum critica scholiorum editio Lioniana postulabat, inde profectus, quod non pauca esse translata ex Isidori libris in commentarios persuasum habebat. De his tamen locis dicit p. 53 non idem semper se sentire, cum etymologiarum verbis cum illis scholiis comparatis non semel demonstretur Isidorum aut eadem aut similia legisse in codice scholiorum Vergilianorum, quem exscribendum sibi proposuisset. Nihilominus rem in medio reliquit, cum de additamentorum auctoribus certum iudicium praesto non esset. Id tantum sibi visus est posse statuere in libris manuscriptis scholiorum ab Isidoro adhibitis additamenta illa partim exstitisse, partim defuisse ideoque ab Hispalensi episcopo nunc translata esse cum aliis verbis, nunc omissa. Thilo, qui Dresselii sententiam prorsus neglexit,

certum de DS scholiorum origine iudicium protulit eum ratus, qui Serviana et DS scholia inter se conexuisset, variis usum esse fontibus, commentariis, illo, quem Macrobius exscripsisset libro, Isidori etymologiis, fabularum volumine aliquo, antiquis glossariis. Neque vero omnes, quae exstant inter Isidori libros et DS scholia similitudines, hoc uno eodem modo esse explicandas concedit. Immo putat (praef. p. XLIV) aliquot scholia DS transtulisse Isidorum in etymologias, neglexisse autem ad eosdem Vergilii versus S scholia adscripta. Haud pauca praeterea arbitratur esse exscripta ab Isidoro DS scholia ad Vergilii versus pertinentia, de quibus S ipse nihil dixerit. Denique partem earum similitudinum ad fontem communem revocat, ubi Isidori verba congruunt cum S et DS, alteram partem ita explicat, ut statuat Serviana esse exscripta ab Isidoro, quae pleniore commento addantur, ex Isidoro fluxisse. De reliquis locis haec p. XLV ‚restat', inquit, ‚ut ea plenioris commentarii scholia commemorem, quae aut quod Isidori expositio plenior sit aut aliis de causis, quas cum facile quivis sentiat explicare longum est, ex Isidori libro exscripta esse videantur'. Huius generis perpauca exempla affert. Supra adumbravi, qua de causa Thilonem tales sententiae suae fines circumscribere putaverim. Impugnat eos, qui genuinum Servii commentarium deperditum, Danielinum autem illius similiorem esse sibi persuaserunt quam vulgatum. Itaque Isidoro ad manus fuisse commentarium S et DS scholia continentem negat. Qua ratione inter se conexa sint S et DS commenta, cum accuratissime exposuerit Barwick, liceat hic eius verba ponere, quibus p. 144 sententiam suam complexus est: ‚Die Zusatzscholien stammen aus einem alten Vergilkommentar, dessen Entstehungszeit wohl um das Jahr 400 — errore enim 500 exhibetur — anzusetzen ist. Die jetzigen erweiterten Handschriften zeigen nicht die ursprüngliche Form des Exemplars des Kompilators. Dieser schrieb vielmehr die beiden Kommentare in der Weise aneinander, dass er, ungeachtet der Zugehörigkeit zu dem einen oder andern Kommentar, die einzelnen Scholien, jedes mit seinem Lemma versehen, den Worten Vergils entsprechend, einander folgen liess. Das erste Exemplar erfuhr nun in der Folgezeit Umänderungen, hauptsächlich in der Weise, dass zwei neben-

einanderstehende Scholien mit dem gleichen oder ähnlichen Lemma in ein Scholion zusammengeschweisst und dabei vor allem DS — den S, den man aus Vulgathandschriften kannte, war man im allgemeinen zu erhalten bemüht — einer Kürzung unterzogen wurde, wofür eine Anzahl fremder Scholien, deren Umfang sich nicht genau feststellen lässt, eingedrungen ist.' Alios autem libros idem negat l. c. p. 140 esse adhibitos a compilatore in commentariis inter se coniungendis neque concedit postea Isidorianos locos DS scholiis similes esse insertos commentis Vergilianis, cum tanta similitudo desideraretur et ad rem et ad verba pertinens, quantam praeberent loci Explanationum Filargirii, quos ex Isidoro fluxisse ante Barwickium (cf. dissertationis supra memoratae p. 107) iam dixit Wessner in Annal. Burs. vol. 139. an. 1908 p. 150. Barwickii argumentum sumptum e ratione, qua usum esse compilatorem eruit, probare in animo habemus exemplis, quae etiam ob eam causam necesse est afferre, quia dubitamus, num eodem iure nitatur in altero argumento, cum negat DS et Isidorum ad verbum congruere. Quod cum nostra aliquid intersit, velim animadvertas etiam consensum horum locorum, quos Thilo aut putat ex Isidoro fluxisse vel ex eodem fonte, unde Isidori locos congruentes, vel exscriptos esse ab Isidoro ipse concedit aut omnino non contulit cum Isidoro.

DS Aen. 1. 39	Is. X 91
exuri dicitur, de quo nihil superest, ut (Aen. 10. 36) *,quid memorem'* e. q. s.	exustus dicitur, de quo nihil superest; quasi valde ustus. Ex enim pro valde ponitur.

In eo noli offendere, quod Isidorus addit ,quasi — ponitur', talia e suo adicit; cf. ib. § 82: expertus, multum peritus. Ex enim hic pro valde ponitur, ib.: exornatus, valde ornatus. ex enim pro valde ponitur, sicut excelsus, quasi valde celsus, et eximius, quasi valde eminens. Eadem exhibet § 88. Simili modo § 76: dehiscens valde hiscens. Hic enim ,de' de augentis est, ut (Ter. Heaut. 825) ,deamo te, Syre'. §77: ,desidiosus . . . id est valde sedendo . . . . ,de' de enim hic augentis est.' Non solum igitur Graecas vocabulorum quorundam etymologias repetit, ut Dressel l. c. p. 7 sq. ostendit. Neque ideo dubitandum est, quin

hoc scholium respexerit Isidorus, quia aliam verbi formam praebet; nam omnes fere libri decimi particulas in hanc formam redegit. Accedit, quod scholiasta more commentatorum versum addit, qui apud Isidorum deest.

DS Aen. 1. 110	Is. XI 1. 91
dorsum] . . . . *vel certe eminens planities aut superficies durior. aut sic ait hic poeta ‚dorsum' de saxo, ut Homerus νῶτα θαλάσσης, sicut alibi ipse* (Aen. 10. 303)	dictum autem dorsum quod sit superficies durior corporis in modum saxi; fortis et ad portandum et ad perpetiendum.

adde S Aen. 10. 303: dorsum est durior harena, quae . . . . in modum saxi durescit e. q. s. Ceterum quae Isidorus dicit de dorso ante verba exscripta, cf. cum Pseudosorani quaest. natt. p. 368 (Arch. lat. lex. vol. 14, ubi nova fragmenta edidit Stadler). verba, quae sunt ‚fortis — perpetiendum', unde hauserit, nescio. Tamen apparet scholium non fluxisse ex Isidori particula.

DS Aen. 1. 149	Is. V 26. 11
seditio est (dissensio civium) [add. Thilo] *sicut Cicero ait in de re publica ‚eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur'.*	seditio dicitur dissensio civium, quod seorsum alii ad alios eunt. nam hi maxime turbatione rerum et tumultu gaudent.

Verba, quae sunt ‚nam hi — gaudent' nemo non videt adeo non cum ceteris esse coniuncta, ut profecto aliunde ascita sint. Et cum Isidorus Ciceronis nomen afferat, ubicumque verba, non dubium est, quin haec ex scholio sumpserit; cf. Kuebler, l. c. p. 513. Nonio, qui p. 25 eundem Ciceronis locum citat, Isidorus non usus est; cf. etiam Manitium, qui idem iudicat hist. lit. lat. med. aevi p. 62.

DS Aen. 1. 177	Is. XVIII 5. 1
arma enim generaliter omnium rerum instrumenta dicuntur, ubi reponuntur, armaria dicta sunt Nigidius de hominum naturalibus IV. ‚omnis enim ars' e. q. s.	arma generaliter omnium rerum instrumenta sunt; unde et ubi reponuntur, armaria dicta sunt.

DS iam Aen. 1. 1 p. 5: *‚alii ideo, arma‘ hoc loco proprie dicta accipiunt* e. q. s ib.p. 6: *et bene addidit post ‚arma‘ ‚virum‘, quia arma possunt et aliarum artium instrumenta dici ut* (Aen. 177) *‚Cerealiaque arma‘.* Non e S Aen. 1. 119 hausit sua Isidorus. Quis credat ad Nigidii locum praestantissimum adsuta esse verba ex Isidoro petita!

DS Aen. 1. 185	Is. XII. 1. 8
. . . *cum armenta proprie boum sint vel equorum vel ceterorum, quibus in armis utimur.* adde S Aen. 3. 540: armenta dicta sunt quasi apta armis.	item quoque armenta vel quod sind apta armis, id est bello; vel quod his in armis utimur.
DS Aen. 1. 211	Is. XI 1. 79
quidam mox detracta coria pelles dici, subacta autem et iam medicata coria appellanda tradunt.	pellis autem mox detracta: subacta iam corium dicitur.
DS Aen. 1. 242	Is. IX 2. 73
Achivis] *ab Achaeo, Iovis et † Pithiae filio, dicti.*	Achaei qui et Achivi, ab Achaeo, Iovis filio dicti.
DS Aen. 1. 394	Is. XVII 7, 2
aut quia nec aquila nec laurus dicitur fulminari, ideo Iovis ales aquila, Iovis coronam lauream accepimus, et qui triumphant lauro coronantur.	laurus . . . . sola quoque haec arbor vulgo fulminari minime creditur.

Ita DS verba inter se cohaerent, ut minime putaverim, quae cum Isidoro congruunt hinc esse translata; contra facile Isidorus potuit DS verba ita mutare, ut nunc exstant.

S et DS Aen. 1. 505	Is. XV 8. 8
testudine] camera incurva, *id est fornicata,* quae secundum eos qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro caeli imaginem reddat, quod constat esse convexum. *quidam tradunt apud veteres*	testudo est camera templi obliqua. nam in modum testudinis veteres templorum tecta faciebant; quae ideo sic fiebant, ut caeli imaginem redderet, quod constat esse convexum.

omnia templa in modum testudinis facta, ... quidam testudinem locum in parte atrii volunt adversum advenientibus.	alii testudinem volunt esse locum in parte atrii adversum venientibus.

Mirum quod Thilonem (cf. p. XLII) effugit DS verba ‚quidam — facta' quae propter scholii multo pleniorem contextum non possunt ex Isidoro fluxisse putari, cum Isidorianis congruere; manifestum igitur est illum errare ratum ex etymologiis in pleniorem codicem verba illa esse translata. Nettleship l. c. p. 167 ut demonstret Isidorum pendere ex eodem fonte, unde scholiastas, relegat ad Non. p. 58, ex cuius verbis nihil sequitur nisi ut S et DS scholia ad antiquius redeant.

DS Aen. 1. 624	Is. IX 2. 74.
Pelasgi] Graeci a Pelasgo Iovis et Larissae filio.	Graeci vero Pelasgos a Iovis et Larissae filio perhibent dictos.

Isidorus videtur verba scholii male in suum usum convertisse.

DS Aen. 2. 16	Is. XIV 8. 38
intexunt] quia naves texi dicuntur; nam ideo, ubi naves fiunt, textrinum vocatur. DS Aen. 11. 326: *quidam ‚texamus' proprie dictum tradunt, quia loca in quibus naves fiunt, Graece ναυπήγια, Latine textrina dici: Ennius* (ann. 468) *dicit: ‚idem campus habet textrinum navibus longis': navalia enim non esse ναυπήγια, sed νεώρια* et S ib. 329: navalia dicimus loca ubi naves sunt. e.q.s. et S Aen. 4. 593.	navalia sunt loca ubi naves fabricantur. Hoc et textrinum vocatur.

DS scholia modo exscripta Thilo p. XLV in numero eorum habet, quae ‚aut quod Isidori expositio plenior sit aut aliis de causis, quas cum facile quivis sentiat explicare longum' sit, dicit ex Isidori libro fluxisse. Vides, quam falso iudicaverit.

DS Aen. 2. 122

vatem] *nunc divinum, alias poetam* (Aen. 7. 41) *,tu vatem, tu diva mone', alias sacerdotem, ut* (Aen. 11. 774): *,et aurea vati cassida'.* adde DS Aen. 11. 774: *vati] hic vatem, supra* (ib. 768) *sacerdotem, ut de Heleno utrumque,* cf. S Aen. 8. 337.

Is. VII 12. 15

Vates ... cuius significatio multiplex est. Nam modo sacerdotem, modo prophetam, significat, modo poetam. adde diff. verb. 451: inter pontificem et vatem: pontifex tantum summum sacerdotem significat, vates autem plura significat, aut sacerdotes aut poetas aut prophetas.

Animadvertas Isidorum exhibere non ,divinum', sed ,prophetam', vocabulum praecipue ab ecclesiasticis usurpatum. Is, qui Explanationibus Isidoriana inseruit, non dubitavit quae Christianum auctorem sapiunt, una cum ceteris transscribere.

DS Aen. 2. 244

quidam ,immemores' dementes accipiunt, quoniam memoria in mente consistit. sane si peritiam Vergilii diligenter intendas, secundum disciplinam carminis Romani, quo ex urbibus hostium deos ante evocare solebant, hoc dixit; e. q. s. adde S Aen. 2. 736.

Is. XI 1. 12

unde et inmemores amentes. ib. § 13: nam et memoria mens est, unde et inmemores amentes.

Certe scholiasta huius scholii partium arte inter se coniunctarum alteram non ex antiquo fonte — cf. Macr. sat. III 9.8 —, alteram ex Isidori libris petivit; cf. etiam Don. Ter. Andr. IV 3. 8: et memoria modo pro intellegentia, ut (Verg. Aen. 2. 244)' ... et Don. Eun. III 1. 32: convenit stultum eundem et immemorem esse, quia et ⟨memoria⟩ [suppl. Rabbow] intellegentia est.

DS Aen. 2. 296

Vestam] .... quod in medio mundo librata vi sua stet et ignem intra se habeat. alii de igne divino hoc volunt dictum, quod vi sua stet, inde Vestam.

Is. VIII 11. 61

Vestam, quod herbis vel variis vestita sit rebus, vel a vi sua stando.

Nemo non videt ex Isidori verbis DS scholium non fluxisse,

immo Isidori particula conflata est e duobis scholiis; cf. S Aen. 1. 292.

DS Aen. 2. 374	Is. X 247
segnis autem est proprie frigidus, sine igni, ut securus sine cura, sedulus sine dolo.	segnis, id est sine igni, ingenio carens. ‚Se' autem sine significat, ut sedulus sine dolo. Securus, quasi sine cura; id est frigidus, per quod inutiles accipimus.

Cum Isidorus perperam ‚frigidum' ad ‚securum' referat, quod scholiasta recte ad ‚segnem', hic est Isidori, non Isidorus illius auctor. Reliqua huius § verba sumpsit e S Aen. 1. 423 et S geo. 1. 151. Eadem exhibet diff. verb. 296.

DS Aen. 2. 397	Is. XVIII 1. 8
bellum est totum tempus, ut Iugurthinum, Punicum, Macedonicum, pugna unius diei; proelium pars pugnae.	bellum igitur est totum, pugna unius diei, proelium pars pugnae est. cf. diff. verb. 78.

Diff. 78 pauca accedunt ad scholii verba, quae cum in diff. Beckii (de differentiarum scriptoribus latinis Groningae 1883) p. 41. 3 similia occurrant non ex Isidoro sumpta, ex eiusdem differentiae fonte fluxisse videntur; cf. etiam diff. ed. Hagen gramm. suppl. p. 285. Similia praebet S Aen. 8. 547; e S Aen. 11. 474 aliam huius differentiae partem Isidorus hausit.

DS Aen. 2. 464.	Is. XV 3. 12
olim sane domus de tabulis fiebant, unde hodieque in aedificiis surgentibus primum et secundum tabulatum dicimus. cf. DS geo. 2. 361.	tabulata olim ligneae domus fiebant. Inde nomen permanet tabulatorum.

Cum scholiasta singulas res ab Isidoro omissas exhibeat, non potest pendere ex illo.

DS Aen. 2. 512	Is. XV 3. 2
omne aedificium aedes dicuntur. Varro locum quattuor angulis conclusum aedem docet appellari	omne aedificium antiqui aedem appellaverunt.

debere. idem rerum divinarum libro sexto intulit, ideo e. q. s.

DS Aen. 2. 702	Is. IX 4. 3
... *ideo et adiecit ‚servate domum' id est genus, familiam* e. q. s.	est autem domus genus, familia, sive coniunctio viri et uxoris.

Extrema verba repetivit Isidorus e V 4, quocum conferas Ulpian. Dig. I 1. 3; cum scholio cf. S. Aen. 2. 652; 3. 85; 5. 121; 7. 122; 9. 446.

DS Aen. 3. 12	Is. VIII 11. 99
dii penates ... quos inter cetera ideo magnos appellant, quod de Lavinio translati Romam bis in locum suum redierint, quod ... eorum nomina nemo sciat; quod e. q. s.	Hi dii quomodo vocabantur, vel quae nomina habuerint, ignoratur.

cf. S Aen. 2. 514 al. et DS Aen. 3. 119: *quamvis diversis locis alias opiniones aliorum secutus poeta de diis penatibus diversa dixerit;* DS Aen. 3. 148; 1. 378; 9. 256. Scholium quod exscripsi, secutus rem admodum implicatam expedivit.

DS Aen. 3. 67	Is. XI. 1. 123
... *Varro quoque dicit mulieres in exsequiis et luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant .... sanguinei coloris coepta est vestis mortuis inici, ut ipse testatur* (Aen. 6. 221) *‚purpureasque super vestes velamina nota'* et (Aen. 5. 79) *‚purpureosque iacit flores'. Alii .... sanguis enim velut animae possessio est* e. q. s.	Proprie autem sanguis animae possessio est: inde genas lacerare mulieres in luctu solent: inde et purpureae vestes et flores purpurei mortuis praebentur.

DS Aen 4. 119	Is. VIII 11. 53
Titan] Sol: unus enim de Titanibus Hyperionis filius contra Iovem non fecit. Cf. S Aen. 6. 580; 725.	ipsum Titan; quasi unum ex Titanis qui adversus Iovem non fecit.

S et SD Aen. 4, 231	Is. X 221
prodere sane significat *et occulta detegere, unde proditores dicti, et* decipere *vel perdere,* ut (Aen. 1. 252): ‚Unius ob iram prodimur' adde: DS Aen. 4. 431: *quidam prodidit pro perdidit accipiunt, ut* (Aen. 1. 252): *‚unius ob iram prodimur'.*	proditor quo eo quod detegit. Item proditor perditor ut (Virg. Aen. 1. 252) ‚unius ob iram prodimur'.

Hic forma verbi ab Isidoro est eodem modo mutata, quo X 91 (cf. supra p. 24). Cum DS et alia et versum Plautinum addat, quae apud Isidorum non exstant, non debet sua episcopo.

DS Aen. 7. 776	Is. V 38. 4
aevum est aetas perpetua, cuius neque initium neque extremum noscitur, sed hic modo ‚aevum' aetatem Hippolyti posuit e. q. s.	nam aevum est aetas perpetua, cuius neque initium neque extremum noscitur, quod Graeci vocant *αἰῶνας*.

Cetera huius particulae verba fluxerunt vel ex Aug. civ. dei 16. 26 vel ex Hieronym. M 26 p. 153 C 167.

DS Aen. 8. 153	Is. XI 1. 36
‚lumine' autem pro luminibus id est oculis.	oculi autem idem et lumina.

DS Aen. 8. 230	Is. X 137
proprie infrendens est inter se comprimens dentes: *nam et frendere significat dentibus frangere, unde nefrendes infantes, quia nondum habent dentes. et Varro frenos hinc putat dictos. frendere ergo quoquo modo frangere*, *ut ‚fresa faba' fracta.*	infrendens proprie est inter se comprimens dentes. nam et frendere significat dentibus frangere, unde nefrendes infantes, qui necdum dentes habent.

Scholium non ad Isidorum redit; nam e collatis diff. verb. 226 et etym. XX 16. 1, quae huc pertinere verisimile est, elucet auctoris id est Varronis nomen in solo scholio exstare.

DS Aen. 8. 403	Is. XIX 6. 5
fabrica Vulcani duobus constat, ventis et igne, hic ergo ‚animae' pro spiritu, quo fabriles folles inflari solent. cf. S Aen. 8. 416.	fabrica duabus rebus constat, ventis et flamma. Flamma vero e. q. s.

Ad versum poetae 403: ‚quantum ignes animaeque valent' DS scholium tam aptum est, ut nihil aliud nisi genuina adnotatio esse possit.

S et DS Aen. 8. 600	Is. IX 2. 74
Hi primi (Pelasgi) Italiam tenuisse perhibentur. *Philochorus ait ideo nominatos Pelasgos, quod velis et verno tempore advenire visi sunt, ut aves. Hyginus dicit Pelasgos esse qui Tyrrheni sunt: hoc etiam Varro commemorat.*	Pelasgi nominati, quia cum velis passis verno tempore advenisse Italiam visi sunt, ut aves. Primo enim eos Varro Italiam adpulisse commemorat.

En habes exemplum maxime idoneum, ex quo cognoscatur non Isidorum auctorem scholiastae esse. Idem iudicandum est de DS Aen. 8. 641, unde foederis etymologiam a fide factam, ut supra (p. 21) commemoravimus, quam scholiasta Ciceroni tribuit, Isidorus XVIII 1. 11 sine auctoris nomine affert.

DS Aen. 10. 164	Is. XIV 4. 22
Tusci a frequenti sacrificio sunt dicti, ἀπὸ τοῦ θύειν: unde Tuscos populos bene dicimus; Tusciam vero non debemus dicere, quia nequaquam in idoneis auctoribus legitur, sed aut Etruria dicenda est ab Etrusco principe aut Lydia a Lydo aut Tyrrhenia ab eius fratre, qui, ut supra (Aen 2. 781) *diximus, cum parte populi de Maeonia venit ad Italiam. quod ergo* e. q. s.	alii Etruriam ab Etrusco principe dictam putant. Item et Tyrrhenia a Tyrrheno Lydi fratre, qui ex sorte cum populi parte de Maeonia venit ad Italiam. Haec est et Tuscia; sed Tusciam non debemus dicere, quia nusquam legimus. Tuscia autem a frequentia sacrificii et turis dicta, *ἀπο τοῦ θύειν.*

Quamvis in uno Turonensi hoc scholium legatur, tamen nemo non videt verba optime inter se coniuncta non ex Isidori contextu sumpta esse. Immo patet Isidori particulam, imprimis

verba, quae sunt ‚haec est et Tuscia e. q. s‘ ad scholium esse revocanda. Vocem ‚ex sorte‘, quae apud DS deest, facile potuit Isidorus repetere ex XIV 3. 43, quam particulam ex aliis scholiis (cf. Aen. 8. 479) hausit. Primam paragraphi partem debet S Aen. 11. 598; ibidem DS similia profert eis, quae ex DS Aen. 10. 164 Isidorus exscripsit: *quidam sane Etruri legunt, ab Etruria; trans Tiberim enim Etruriam dicebant, homines Etruros, quos nunc Etruscos.* Similia exhibet DS e g. Aen. 12. 335: *Thraca] autem id est Thracia: Cicero in de republica* (II 4. 9) *‚coloniarum vero, quae est deducta a Graecis in Asiam, Thracam, Italiam‘ et non dixit ‚Thraciam‘.* Cf. S Aen. 8. 435: ‚cuius dicti nullus auctor invenitur idoneus‘.

DS Aen. 10. 370	Is. IX 3. 22
per ducis Euandri] melius ducis quam si dixisset ‚regis‘; hoc enim nomen exprimit ducentem in proelia: Sallustius: ‚quo cupidius in ore ducis se quisque bonum et strenuum ostentantes‘ non dixit ‚proconsulis‘.	in bello autem melius ducem nominari quam regem. Nam hoc nomen exprimit in proelio ducentem. Unde et Vergilius (Aen. 10. 370): ‚ducis Euandri‘. Sallustius (Hist. 4. frg. 7. M.): ‚Quo cupidius in ore ducis se quisque bonum‘. non dixit ‚in ore consulis‘.

Ex pleniore scholii exemplo Sallustiano elucet scholiastam non pendere ex Isidoro.

DS Aen. 11. 89 conferas cum Is. XII 1. 43; vide p. 13.

DS Aen. 11. 496	Is. XI 1. 61
quidam sane ‚cervicibus‘ plurali numero secundum veteres dictum volunt et Hortensium primum singulari numero ‚cervicem‘, unde Ciceronem ‚cerviculam illum iactaturum‘ tradunt dixisse.	veteres autem plurali numero tantum cervices dicebant: prius Hortensius cervicem singulariter dixit.

S et DS Aen. 11. 603	Is. X 52
. . . quos celeres appellavit vel a celeritate vel a duce Celere qui . . . . *alii hos celeres ideo*	celer appellatus a celeritate

appellatos dicunt, quod explorationes obirent et quae usus exigeret velocius facerent.

quia quod usus exigit velocius facit.

DS Aen. 12. 121

... alii ‚pilatum agmen' dicunt quod in longitudine directum est, quale solet esse cum portis procedit. vel certe .... Ennius saturarum II. ... Hostius belli Histrici primo. .... Asellio historiarum.... Scaurus de vita sua .... Varro rerum humanarum e. q. s. adde S Aen. 8. 595 et S Aen. 1. 186.

Is. IX 3. 64

nam agmen dicitur, quod in longitudine directum est, quale solet esse, cum exercitus portis procedit.

DS Aen. 12. 463

pulverulenta] plena pulveris: nam apud veteres ‚pulverulenta' dicebantur, sicut vinolentum dicimus, qui vino plenus est, et temulentum qui temeto plenus est.

diff. verb. 468:

inter pulvereum et pulverulentum: pulvereum factum, pulverulentum est pulvere plenum.

Sepius talia discernens adiectivi ‚pulvereus' vim propriam repetere potuit e diff. 223, quam e S Aen. 1. 191 exscripsit; cf. diff. 449 cum S geo. 2. 5; et Beck. l. c. p. 78. 41.

DS geo. 1. 97

et qui proscisso quae s. a. t.] propria voce usus est: cum enim primo agri arantur, quando duri sunt, proscindi dicuntur; cum iterantur, obfringi; cum tertiantur, lirari.

Is. XVII 2. 5

proscissio est aratio prima, cum adhuc durus ager est.

Verbi formam mutavit secundum ea, quae praecedunt; cf. § 2 aratio, intermissio; § 3 stercoratio; § 4 occatio § 5 runcatio. Sequuntur § 6 satio, § 7 messis, seges.

DS geo. 1. 120

alii fibras proprie dicunt rei cuiusque extremitates, sicut Cicero in Gabinium ... et in Tusculanis ...

Is. XI 1. 126

fibrae iecoris sunt extremitates, sicut [et] extremae partes foliorum in intibis.

unde et iocineris extremae partes fibrae a nonnullis appellantur. bene ergo Vergilius intiborum vel radicum vel foliorum extremitates fibras dixit. alii e. q. s. cf. S ib. et Aen. 10. 176.

S et DS geo. 1. 142
trahit umida lina] everriculum significat. *et trahit recte, quia hoc genus retis tragum vocatur.*

Is. XIX 5. 3
tragum genus retis ab eo, quod trahitur nuncupatum. Ipsa est et verriculum; verrere enim trahere est.

Minus accurate S verba quam DS cum Isidoro congruunt. Ita autem ad interpretandum Vergilii versum accommodatum est DS scholium, ut appareat non Isidorum fontem esse.

S et DS geo. 4. 50
vocisque offensa r. i] resonat echo repercussa: quam apes vehementer horrere manifestum est. *et aliter: quae Graece ἠχώ, latine imago dicitur. Cicero Tusculanarum tertio (2,3): ,resonat tamquam imago'. hic autem sonus facit eas fugere.*

Is. XVI 3. 4
Icon saxum est qui humanae vocis sonum captans etiam verba loquentium imitatur. icon autem Graece, Latine imago vocatur, eo quod ad vocem respondens alieni efficitur imago sermonis.

Cum ceteris prorsus congruentia non inveniuntur; ea videtur Isidorus conflasse; cf. Pallad. I 37. 5; Lucret 4. 570 sqq. Ultima paragraphi verba sunt Plinii 36. 99.

Haec exempla congessi, unde eluceat ex Isidorianis locis, quamvis simillimi sint DS scholiis, haec non fluxisse. Itaque satis habui ea scholia afferre, quorum et res et verba prope ad Isidorum accedunt, omnia autem eiusmodi, ut aliquo modo pleniora sint quam etymologiarum et differentiarum particulae respondentes, sive quod plura de re verba facit scholiasta ab episcopo in brevius contracta sive quod apud Isidorum nomen auctoris a DS laudati deest, sive quod talem indolem prae se ferunt verba, ut commentatoris, non Isidori propria esse videantur. His vero locis cum non dubium sit, quin Isidorianas particulas

aetate superent, nunc ea scholia plenioris commentarii addam, quae non plura verba exhibent quam Hispalensis loci congruentes, non igitur nisi priore parte absoluta in comparationem vocari possunt. Nunc autem suum locum obtinent. Qua in re illud moneo non ita esse iudicandum de his locis, sicut de illis Explanationum scholiis p. 23 commemoratis; cf. etiam scholia ab Hageno e cod. Bern. 165 edita (post scholia Bernensia in Fleckeiseni suppl. 4. 1861—67. append. II p. 987), quorum nonnulla ex Isidoro fluxisse videntur. Neque vero scholia, quae infra cum Isidori libris comparabo, et Filargirii loci eo inter se differunt, quod illa tantum rei similitudinem praebent, non verborum — huius generis exempla iam attuli et infra augebo —, sed qui tales locos ex etymologiis in Explanationes transtulit, veritus non est Christiana cum ceteris verbis exscribere; cf. Explan. I buc. 2. 46 cum Is. VIII 11. 96 sq. Praeterea hi loci non numquam scholii modum excedunt; cf. quae de Sibyllis Explan. I buc. 4. 4 adnotantur, ubi totum Isidori VIII 8 caput dignum visum est, quod in commentarium reciperetur. Accedit quod quibus fontibus illae etymologiarum particulae revera debeantur, fere ex omni parte exploratum est. Porro qua ratione ex Isidori libris scholia in commentarios inserta sint, optime cognosci potest e cod. Turonensi, quem cave, ne in eorum numero librorum manuscriptorum habeas, ex quibus iustum de DS scholiis propriis iudicium fiat; cf. Thilonis praef. p. LXII sqq. Nonnulli in Turonensi exstant loci, quos non dubito cum Thilone ad Isidorum referre. Praeter duo exempla, quae adnotavit Thilo p. LXIII conferas Turon. scholium Aen. 4. 216 cum Isidori XIX 31. 4, ubi Turonensis additamento non scholium genuinum exhiberi etiam ex eo cognoscitur, quod Lactantius Placidus Stat. Theb. 9. 795 scholium plenius exscribens omittit, quae Turonensis solus praebet; Isidorus usus est ni fallor glossa Placidi V 32. 7 = V 85. 11 = V 117. 20, cui pauca ipse addidit nisi ecclesiasticum nescioquem scriptorem secutus est. Similiter iudicandum est de eis adnotationibus, quas praebet Turon. ad Aen. 11. 334; ubi diadematis explicatio, cum non ad Vergilium interpretandum pertineat, sed ad Servii scholium, non propria Danielis Servii haberi potest (cf. quae de talibus locis dixit Barwick l. c. p. 139). Quae

ibidem Turonensis de trabeae origine et etymologia exscripta ex Is. XIX 24. 8 praebet, hic non e Suetonio sumpsit, quod vult Nettleship l. c. p. 161, cum appareat Isidorum sententiam sequi diversam a Suetoniana, quam tradit Servius Aen 7. 612, ib. 188; cf. Helbigium Hermae vol. 39 p. 176. Haud scio an Isidorus sua scholio deperdito debeat (cf. S Aen. 11. 334, Turon. Aen. 7. 612; adde schol. Pers. 3. 28), non Plinio; cf. 9. 136 et 8. 195. Miror quod Thilo p. XLV in numero eorum locorum plenioris commentarii, de quibus dubitat, utrum Isidorus scholiastae an hic illius auctor sit, etiam adnotationes quasdam habet, quas ex Italorum saec. XV supplementis edidit, cum ipse p. XCII profiteatur de his non idem iudicandum esse, quod de pleniorum librorum scholiis. Quorum rationem non habui, quippe quae quinto decimo saeculo videantur composita esse. Turonensis autem scholia ideo non erant neglegenda, quia nonnumquam solus adnotationes exhibet in ceteris libris manuscriptis vel omnino omissas vel male traditas; cf. quae Thilo p. LXIV ‚illud‘, inquit, ‚tamen non dubito, quin is liber quo Turonenses interpretes usi sint Floriacensi non uno nomine praestantior fuerit‘ et Barwickium l. c. p. 123. In his etiam nonnulla inveniuntur quae Isidorianis locis simillima, tamen de causis supra allatis non ex Isidori libris exscripta sunt. Eas autem particulas, quae ex Isidoro in Turonensem fluxerunt, moneo in hoc solo exstare, numquam vero in eis codicibus, qui plenioris commentarii proprii sunt. Iam praemissis eis scholiis, quae non ex Isidori libris in commentarios transcripta esse facile unusquisque concedet, transeamus ad ea enumeranda, quae simillima quoque Isidorianis, neque vero pleniora sunt.

DS Aen. 1. 148	Is. IX 4. 6
et quidam ‚populum‘ totam civitatem, ‚vulgum‘ vero plebem significari putant.	populus ergo tota civitas est; vulgus vero plebs est.

Sane diff. verb. 445 et 472 similia et pleniora exstant; sed his locis comparatis cum etym. IX 4. 5 apparet Isidoro duos fontes ad manus fuisse; vide Gaii instit. comm. 1. 3 et Dirkseni l. c. p. 192.

DS Aen. 1. 220
acris] fortis, alias velocis. quidam acrem in unamquamque rem vegetum ac nimium tradunt.

Is. X 6
acer in unamquamque formam vegetus ac nimius.

DS Aen. 1. 422
strata viarum] primi enim Poeni vias lapidibus stravisse dicuntur.

Is. XV 16. 6
primi autem Poeni dicuntur lapidibus vias stravisse.

DS Aen. 1. 436
redolent] quidam olere res vel malas vel bonas, redolere tantum bonas tradunt.

diff. verb. 406
inter olet et redolet: olet res vel male vel bene, redolet tantum bene (codd. olent-redolent).

DS Aen. 1. 443
sane fodere est tantum sollicitare terram, effodere hoc ipsum faciendo aliquid eruere vel invenire: cui contrarium est infodere. ordo autem est e. q. s.

diff. verb. 228
inter fodere et effodere: fodere est tantum sollicitare terram, effodere hoc ipsum faciendo eruere aliquid vel invenire, cui contrarium est infodere.

DS Aen. 1. 744
non enim semper de duobus dicunt geminos, sed de pluribus. cf. S Aen. 1. 162 gemini] pares, similes; interdum et duos significat. et S Aen. 2. 203 gemini] duo et similes. gemini autem sunt proprie fratres simul nati. ib. 415. 500; 7. 450; DS 8. 130.

Is. IX 5. 21
gemini sunt non duo tantum simul nati, sed etiam plures.

DS Aen. 2. 484.
penetralia] id est domorum secreta, dicta penetralia aut ab eo quod est ‚penitus' aut a penatibus. cf. S Aen. 6. 71.

diff. 435
penetralia autem sunt domorum secreta et dicta ab eo quod est penitus. adde XV 4. 4.

Differentia ‚inter penetrale et penetrabile' est Servii Aen. 10. 481.

DS Aen. 2. 638
exilium] dictum quasi extra solum. DS Aen. 5. 51: exul]

Is. V 27. 28.
exilium dictum quasi extra solum. Nam exul dicitur qui

extra solum suum. cf. S Aen. 3. 11 et 11. 263; geo. 3. 225.

extra solum est. X 84: exul, quia extra solum suum est. e.q.s.

Serviana exscripsit X 84; huius paragraphi prima pars, quam exscripsi, congruit cum DS scholiis, unde etiam V 27. 28 fluxit, non e S, ut putat Kuebler l. c. p. 518.

DS Aen. 3. 359

Varro autem quattuor genera divinationum dicit: terram, aerem, aquam, ignem: geomantis, aeromantis, pyromantis hydromantis. Vergilius tria genera complexus est: per lauros geomantis e. q. s.

Is. VIII 9. 13

Varro dicit divinationis quattuor esse genera, terram, aquam, aerem et ignem. hinc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam dictam.

Scholiasta ita in usum suum convertit Varronis verba, ut veri dissimillinum sit ea esse ex Isidoro petita. Praeterea Danielis Servii proprium est ad poetam interpretandum augurum disciplinam adhibere; cf. Barwick l. c. p. 109.

DS Aen. 3. 443

vates a vi mentis appellatos Varro auctor est.

Is. VIII 7. 3

vates a vi mentis appellatos Varro auctor est... et VII 12. 15 vates a vi mentis appellatos. ...

DS Aen. 4. 58

patrique Lyaeo] *dictus Lyaeos ἀπὸ τοῦ λύειν, quod nimio vino membra solvantur.*

Is. VIII 11. 44

idem autem et Lyaeus ἀπὸ τοῦ λύειν, quod multo vino membra solvantur.

DS Aen. 4. 87

propugnacula] quibus porro pugnatur. S et DS Aen. 9. 168: propugnacula] pilas *murorum.*

Is. XV 2. 20

propugnacula pinnae murorum sunt, dicta quia ex his propugnatur.

Unus Floriacensis exhibet ‚pinnas' pro ‚pilas.'

DS Aen. 4. 151

lustra latibula ferarum vel luporum: unde el lupanaria meretricum lustra dicuntur. S. Aen. 1. 607 unde lustra et ferarum cubilia et lupanaria per contrarium dicimus, quia parum inlustrantur.

Is. XIV 8. 29

lustra obscura latibula ferarum et luporum cubilia sunt. Unde et lupanaria lustra dicuntur, per contrarium videlicet, quia parum inlustrantur.

DS Aen. 4. 271	Is. XIV 1. 1
‚terra‘ totum orbem significat, ‚terrae‘ autem partes sunt.	terra ... quae singulari numero totum orbem significat, plurali vero singulas partes.

Thilo parum recte adnotat XIV 5. 20; hanc particulam debet Isidorus S Aen. 6. 59 cf. ib. 111; indidem diff. verb. 375 fluxit.

DS Aen. IV 648	Is. XV 3. 9
cubile] cubandi locum dixit.	cubile autem cubandi locus est. XX 11. 2 cubile est cubandi locus.

Cf. Cassiod. in psalt. comm. ps. 35. 4: cubile enim a cubando dictum est. et ps. 4. 4. Cassiodorum etiam e scholiis Vergilianis etymologias hausisse ostendit Henricus Erdbruegger diss. Ien. 1912 inscripta ‚Cassiodorus unde etymologias in psalterii commentario prolatas petivisse putandus sit.‘ p. 30 sqq. Isidorus hoc commentario usus non est.

DS Aen. 8. 392	Is. XIII 8. 2
quamvis philosophi fulgura et tonitrua simul exprimi dicant, sed illud celerius videri, quia clarum est, tonitrua autem ad aures tardius pervenire. alii rima micans fulgetram dicunt. cf. S ib. 431: per sonitum tonitrua ostendit, per metum fulgetras. et hunc ordinem sic posuit ut hominibus videtur: nam re vera prior est conlisio nubium, unde ignis emicat. nos autem ideo prius fulgetras videmus, quam tonitrua audiamus, quia velocior oculorum, quam aurium sensus est.	cum tonitruo autem simul et fulgura exprimi: sed illud celerius videtur, quia clarum est; hoc autem ad aures tardius pervenire. lux autem quae apparet ante tonitruum fulgetra vocatur. Quae, ut diximus, ideo ante videtur, quia clarum est lumen; tonitruum autem ad aures tardius pervenit.

Thilo praef. p. XLV contendit hoc DS scholium fluxisse ex Isidoro; sed quia Isidori expositio non plenior est quam scholium — nam verba ‚lux-vocatur‘ pertinent ad alteram scholii

partem; cf. etiam S Aen. 8. 431: fulgores nunc terrificos] quas fulgetras dicunt —, confiteor ‚alias causas‘ quas ille non exponit, cum putet facile quemvis sentire, me non posse invenire. Optime scholium quadrat ad Vergilii versum: ‚tonitru cum rupta corusco ignea rima micans percurrit lumine nimbos‘. Poeta dicit e tonitru, id est e nube, quae tonitrua emittit, erumpere fulmina; de qua re plenius quam Servius hoc loco, similiter atque ille scholio allato, DS agit. Scholium non ex Isidoro fluxisse elucet etiam ex eo, quod Isidorus male mutavit, quae ante oculos habebat: refert ad tonitrua haec: ‚illud celerius videtur, quia clarum est,‘ ad fulgura: ‚hoc autem ad aures tardius pervenit.‘ Verba eam ob causam turbavit, quia quae de fulmine dicturus erat, coniungere voluit cum proxime antecedenti tonitrus expositione Hanc ex quo sumpsit, e Lucret. 6. 120 sqq., eiusdem auctoris alia verba (ib. 166) eum moverunt, ut post brevissimum spatium eadem fere repeteret. Quod confirmatur de natura rerum libelli cap. 30, ubi § 3 ad Lucretii verba scholium assumpsit. Hunc fontem non invenit Schenk l. c. p. 10, quippe qui cum Thilone dubitaret, num Isidorus DS scholiis usus esset.

DS Aen. 8. 656	Is. IX 2. 106
Gallos] Senones, qui Senones dicti sunt, quod Liberum patrem hospitio recepissent.	Galli autem Senones antiquitus Xenones dicebantur, quod Liberum hospitio recepissent; postea X in S litteram commutata est.

Quod Isidorus addit: ‚postea X in S litteram commutata est‘ nullius est momenti. Nam ut repetit Graecas originationes — cf. Dresselium l. c. p. 7 sq., a quo congesta exempla facile possunt augeri — et adnotationes velut ‚de enim hic augentis est‘, ‚ex pro valde ponitur‘, de quibus p. 23 diximus, ita occasionem non praetermittit, quin litteram esse mutatam moneat; cf. proxime sequentem §: ‚idem et Vascones, quasi Vaccones, C in S litteram demutata; praeterea III 3. 4; VI 16. 12; X 112; XII 3. 2; XV 12. 4; XVII 5. 4; ib. 7. 2; XX 9. 4; ib. 4. 11 al. Idem est iudicandum de hoc scholio:

DS Aen. 9. 4.
nam et ipsa consilia a sedendo quasi considia dicta sunt; sedentium enim animi tranquilliores fiunt.

Is. VI 16. 12
unde et considium consilium, D in L litteram transeunte.

DS Aen. 9. 611
sane vestes acu pictas coloribus Phryges primi invenerunt: nam ideo et artifices talium vestium phrygiones appellati sunt. adde S Aen 3. 484: huius enim artis peritos Phrygiones dicimus secundum Plautum; in Phrygia enim inventa est *haec* ars. et q. s.

Is. XIX 22. 22
acupicta ... eadem et Phrygia; huius enim artis periti Phrygii omnes dicuntur sive quia in Phrygia inventa est: unde et artifices, qui id faciunt Phrygiones dicuntur. Verg. (Aen. 3. 484) ‚Phrygiam chlamydem‘.

Non est, cur cum Laemmerhirtio l. c. p. 374 putemus Isidorum non pendere e scholiis, sed ex Suetonio.

DS Aen. 9. 722
obnixus] *conisus, conabundus.* adde DS Aen. 5. 21: *nec nos obniti contra*] *κατὰ τοῦ αὐτοῦ*: *sufficiebat enim aut obniti aut contra niti.*

X 198
obnixus contranisus et conabundus.

S et DS Aen. 11. 305
importunum autem est *ubi nullum refugium est,* quod caret portu, id est quiete, ubi nullus portus est.

Cum Servianis cf. Is. X 136.

Is. XIV 8. 39
inportunum autem, in quo nullum refugium, quasi nullus portus.

S et DS Aen. 11. 457
Padusa pars est Padi: nam Padus licet unus sit fluvius, habet tamen fluenta plurima, e quibus est Padusa, quae quibusdam locis facit paludem, quae plena est cycnorum. *alii*

Is. XIII 21. 26

Padum tribus fontibus nasci dicunt, ex quibus uni sit vocabulum Padusa: qui diffusus in modum stagni in amnem digeritur; nam ideo ‚per stagna loquacia'; alii e. q. s.

Padus Italiae fluvius a iugis Alpium fusus ex tribus fontibus oritur; ex quibus uni vocabulum est Padus, qui diffusus in modum stagni amnem sinu digerit; a quo et Padus est nuncupatus.

Minime pro certo habuerim etiam ea verba, quae apud DS desunt, ex eodem uno fonte Isidorum hausisse, quippe quae ad describendum Padum omnino — sunt enim ‚Italiae fluvius a iugis Alpium fusus' —, non ad DS scholium pertineant, quo de Padusa, uno Padi fonte, agitur. Ceterum addit scholiasta post versum Vergilianum duos locos ex antiquis poetis, Valgio et Titinio, haustos.

DS Aen. 11. 651

bipennis autem dicitur, quod ex utraque parte habeat aciem, quasi duas pinnas quas veteres dicebant.

Is. XIX 19. 11.

nam bipennis dicitur, quod ex utraque parte habeat acutam aciem, quasi duas pinnas.

De ceteris huius particulae fontibus infra dicam.

S et DS Aen. 11. 682

... sparus] bene agrestis; nam sparus est rusticum telum, in modum pedi recurvum. Sallustius (Catil. 56. 3): ‚sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes portare. *Varro ait ‚sparum telum missile, a piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur. alii sparus a spargendo dici putant.*

Is. XII 6. 31

sparus a lancea missile nomen traxit, quod eiusdem figurae sit. Terrestria enim prius inventa sunt quam marina. Nam sparum est telum rusticanum missile,

ab spargendo dictum.

Manifestum est hanc particulam e verbis plurium auctorum compositam esse. Eum scholiastam autem, qui Varronis locum affert, etymologiam spari a spargendo factam ex Isidoro hausisse verisimile non est.

DS Aen. 11. 858

volucrem sagittam] *proprie: quia sagittis pennae adglutinantur.*

diff. verb. 47:

inter avem et volucrem .... nam et sagittae volucres dicun-

tur, quod his pinnae conglutinantur . . . .

DS Aen. 12. 337

alacer] *quidam alacer gestiens et rei novitate turbatus volunt, alacris vero laetus.*

Is. X 6

alacris laetus; alacer gestiens, et [nullius] rei novitate turbatus.

cuius differentiae testes sunt Donatus Eun. II. 3, 13 et Pseudascon. in Verr. I 29. 17.

S et DS buc. 4. 2

myricae] virgulta sunt humillima *et sterilia, quod volgo tamaricium dicitur.* cf. DS buc. 8. 54.

Is. XVII 7. 49

Myrice, quam Latini tamaricum vocant, ex amaritudine nominata; gustus eium eius nimis amarus est.

Sane Isidorus plura praebet quam DS; talis autem etymologia est, ut ab ipso episcopo videatur esse excogitata, cum non dubitem, quin ‚amarum' gustum ex ipso vocabulo ‚tamaricus' ducat. Haud scio an pro ‚haec arbor in solitudine et saxosa humo nascitur', quod Lindsay e codicum lectionibus variis eruit, Isidorus scripserit cum Hieronymo (M 24. 193 B 174) ‚salsa humo'. Neque Plinius 24. 67 et 13. 116, unde DS pendere verisimile est, etymologiam Isidorianam affert.

S et DS buc. 9. 30

. . . Corsica: haec autem insula Graece Cyrnos dicitur, *a Cyrno, Herculis filio,* unde fecit hanc derivatiouem: ‚Cyrneas taxos'.

Is. XIV 6. 42

Haec autem insula Graece *Κύρνη* dicitur, a Cyrno, Herculis filio, habitata. De qua Vergilius (buc. 9. 30) ‚Cyrnea taxos'.

DS buc. 10. 19

‚subulci' autem pastores porcorum.

X 263

subulcus porcorum pastor; sicut bubulcus a cura boum.

De bubulcis cf. Explan. I et II. buc 1. 6; adde Priscian. II 136. 18.

DS geo. 1. 146.

peior est egestas quam paupertas; paupertas enim honesta esse potest, egestas etiam turpis est.

diff. verb. 185

inter egestatem et paupertatem: quod egestas peior est quam paupertas: paupertas enim potest esse honesta, nam egestas semper turpis est.

S et DS geo. 2. 88	XVII 7. 67.
. . . *volema autem Gallica lingua bona et grandia dicuntur.*	Quidam autem volemum Gallica lingua bonum et magnum intellegunt.

Thilo praef. p. XLIII ‚denique' inquit, ‚quae vulgato ad georg. II 88 scholio de crustumiis addita sunt ea recentior aliquis scholiastes ex Isidori copiis adsumpsit; nam Lemovicensis codex in primi libri v. 279 desinit'. Etsi paucae adnotationes codicis Vaticani, qui hoc scholium exhibet, Danielis Servio alienae sunt, tamen de hoc libro manuscripto idem fere iudicium valere, quod de Lemovicensi, Cassellano, Floriacensi, docuit Barwick l. c. p. 108 adn., ubi nonnulla huius codicis propria additamenta significat. Quae Vaticanus hic exhibet, non praebent offensionem; nam saepe scholiastae adnotant Vergilium adludere ad Gallicam linguam; cf. S Aen. 11. 743; 8. 660; S et DS geo 3, 204, quas interpretationes nonnunquam exscripsit Isidorus; cf. S Aen. 4. 442 et geo. 3. 474 cum Is. XIV 8. 18. Etiam Buecheler mus. Rhen. 33 p. 12 Vaticani scholium antiquiorem commentarium quam Servii verba prodere dicit.

§ 5. Ecce ea scholia, quae Isidorianis locis simillima, commentarii tamen propria esse concedet qui haec argumenta comprehenderit: nonnulla eorum, quae modo enumeravi, scholii genuini indolem sapiunt vel aliis de causis non ex Isidori libris petita esse videntur; omnia in antecedenti parte composita certum est non ex Isidoro fluxisse; denique ea in animum revoco, quae de compilatoris ratione Barwickium statuisse dixi. Sin autem aliquis etiam nunc dubitat, num recte iudicaverimus, ei scholia esse antiquiora illis Isidori locis fore persuasum puto ceteris locis collatis, quae adhuc consulto omissa infra cum aliis argumentis tum testimoniis scriptorum scholiastis cognatorum adiuvabuntur. Iam cum pro certo habeamus DS scholiorum non Isidorum esse auctorem, videamus, quo modo illa similitudo explicanda sit quam et ad rem et ad verba pertinere saepe ostendimus. Dressel l. c. p. 53 sq. censuit horum DS scholiorum partem Isidorum exscripsisse cum Servianis; eadem est sententia Thilonis de nonnullis scholiis, quae cum Servianis non sunt coniuncta. Nettleshipii p. 166 sqq. con-

iecturam hic neglegi licebit, cum Danielis Servio et Isidoro — et Servio — eosdem fontes ad manus fuisse putet, unde Isidorum scholiis neglectis pendere supra negavimus. Schenk l. c. p. 54 putat Thilonem recte statuisse Isidorum Servio, non DS usum esse; at Thilo p. XLIV concedit episcopum nonnulla ex ampliore commentario hausisse, quorum haud pauca ad fontem communem revocari possint. Quod iudicium latius patere vult Barwick l. c. p. 122, qui, quoniam de paucis tantum scholiis agatur et constet DS fontes saepe ad verba exscripsisse, putat ad eandem auctoritatem se applicavisse Isidorum et scholiastam, negat Isidorum usum esse illo commentario, cuius reliquias DS scholia praebeant. Facere non possum ut Barwickio assentiar. Nam primum cum pauca tantum DS scholia huc pertinere dicit, ea tantum respicere videtur, quae Thilo l. c. congessit; sed multo plura in examen esse vocanda id mihi videor ostendisse enumerandis eis locis, quos supra contuli, a Thilone saepe vel in praefatione vel in adnotationibus vel utrobique neglectos. Philipp de hac re perinde ac Barwick iudicans affert p. 41 alterius causae argumentum, unde appareat DS scholium aliquod e fonte ad verba exscripsisse. Idem alio modo Barwick ostendit, priusquam de similitudine inter Isidorum et Danielis Servium verba facit p. 120 sqq.; commonefacit disputationum illarum, quibus demonstratum sit DS et Macrobium ex eisdem fontibus pendere sicque esse explicandam eorum similitudinem. Quae cum saepius ad verba pertineat, fieri non posse, quin putemus Danielis Servium fontes ad verba exscripsisse. Ibidem autem Barwick ut Danielis Servii hanc rationem scribendi excuset, exemplum affert cum Macrobii Saturnaliorum et Donatiani commenti Vergiliani, de quibus idem constat, tum Servii ipsius, cuius paucis cum DS scholiis collatis demonstrat utrumque pendere ex eodem fonte, quem DS plene vel integre exscripserit, Servius coartaverit, ita tamen, ut hic quoque verba fontis exhibeat. Vides quam non apta sit haec ratio, qua Isidorum non recta via scholiis DS usum esse demonstretur; quamquam Nettleshipii opinione absoluta atque expedita nemini iam in mentem veniet negare Serviana scholia ab Isidoro esse exscripta. Parvus autem numerus scholiorum DS, quae Isidoro similia sunt, collatus cum

quadringentis illis Servianis scholiis, ut Thilo p. XXXIX dicit, ab Isidoro exscriptis, ut prorsus desinat offensionem praebere, ostendere conabor multa praeter adhuc commemorata DS scholia in Isidori libros fluxisse, ex integro nempe commentario Danielis Servii, qui dicitur, ea scholia dico, quae ad talem similitudinem Isidori locorum accedunt, ut aliquo modo detruncata nobis videantur tradita esse. Plenior enim commentarius, ut omnes sciunt et Barwickii commentatione saepe laudata quam potest maxime illustratum est, non exstat nisi decurtatus et in universum et in singulis rebus. Non solum toti fere libri eius deperditi sunt, velut Aeneidos sextus et septimus, bucolicorum primus usque ad quartum; in georgica scholiorum exiguae reliquiae inde a versu 279 primi libri non aetatem tulerunt nisi in cod. Vaticano; sed etiam in libris servatis scholia desiderantur, ad quae aliunde scholiasta lectorem mittit. Praeter eos autem locos, quos perisse fortuito demonstrare possumus, certe multorum omissorum nec vola nec vestigium exstat. Pluris etiam nostra interest ostendere saepe scholia, quae servata sunt, non integra esse. Cuius rei Barwick ipse testis est p. 141, ubi scholiastam defendens contra eos, qui ei ‚rude et incultum genus dicendi‘ (verba sunt Thilonis praef. p. XXXII) vitio verterunt, immutationes decurtationesque posterorum excusat. Eiusdem disputationis p. 128 sqq. Barwick ostendit inter se confusa esse scholia non ab uno eo compilatore, qui duos commentarios tantum uno corpore coniunxisset, sed a posteris, quos verisimile est id praecipue egisse, ut duo S et DS scholia ad eorundem poetae verborum interpretationem spectantia inter se conecterent. Quantum autem tali immutandi libidini in contextu, qui lemmatis tantum explicandis cohaeret, attribuendum sit, optime ex eis e. g. cognoscitur, quae viri docti de Donati commentario Terentiano eruerunt; cf. Sabbadinium in Stud. ital. philol. class. 2. p. 12 sqq. al. et Wessnerum in ‚Quaestt. ad scholia Lat. pertinent.‘ (comm. gratul. Bremae 1899) p. 1 sqq. Qua iactura multo minus affecta sunt Serviana scholia, quae, si leviores quasdam mutationes exceperis, integra servata sunt quam DS scholia mutilata ab eis, qui in Vergilii carminibus interpretandis studium collocaverunt, cum Barwick p. 141 non dubitet, quin occasione data adhibitum sit Servianum

exemplar codicum vulgatorum ad lectiones genuinas servandas. Hac ratione DS commentarius detrimenta accepit, non a compilatore, qui neutrum alteri anteposuit, sed a posteris, qui DS scholia pro additamentis habebant. Conferas e. g. hos locos:

S et DS Aen. 11. 133	Is. X 260
pace sequestra] media: nam*que* sequester est *aut* medius inter duos altercantes *aut* apud quem aliquid ad tempus seponitur: *dictum autem a sequendo, quod eius qui electus sit, utraque pars fidem sequitur.*	sequester dicitur qui certantibus medius intervenit, qui apud Graeces ὁ μέσος dicitur, apud quem pignera deponi solent. Quod vocabulum ob sequendo factum est, quod eius qui electus sit utraque pars fidem sequatur.

cf. diff. verb. 195 . . . sequestris dicitur, qui certantibus medius intervenit, per quem utraque pars aequam fidem sequatur. De hoc exemplo Nettleship recte p. 166 ‚the vulgate', inquit ‚aud the fuller edition of the Servian note are here homogeneous, and there can therefore be no question of interpolation'. Eidem autem neganti scholium esse Isidori fontem et potius de Verrio Flacco cogitanti; cf. Fest. p. 456. 18 ‚sequester is dicitur, qui inter aliquos [qui certant medius ut] inter eos convenerit [ita tenet depositum ali]quid, ut ei reddat' e. q. s.· non possum assentiri propter nimiam inter scholium et Isidorum similitudinem; Thilo ipse p. XLI concedit id quod DS Serviano scholio addit non ex Isidoro fluxisse. Recte idem Isidorum plenius Servii exemplar inspexisse negat, cum Isidorus et Servius de vi vocabuli consentiant, eorum autem, quae ille et DS de origine dicunt, consensus etiam ad verba pertineat. Immo sibi persuasit e scholio antiquiore tres illos locos pendere, unde Servius more suo tantum ea exscripsisset, quae ad explicandum Vergilii vocabulum opus esse putaret, Isidorus omnia, Floriacensis scholiasta ea, quae a Servio omissa esse vidisset. Ad hanc huius rei explicationem quominus nos applicemus, eo prohibemur, quod saepius significavimus, nimirum illa nova et probabili Barwickii sententia de DS scholiorum origine. In additamentis quae adhuc DS scholia habebantur, nihil exstitisse nisi Floriacensis verba propria Thilo suo iure conicere potuit; in commentario autem integro, cuius tantum reliquias

DS servat ut nunc scimus, verisimile est plenius scholium poetae versui ascriptum fuisse, scilicet etiam verba eis similia, quae nunc in Servii exemplari vulgato leguntur. Testis est Lactantius Placidus, qui ad Statii Thebaid. 7. 542 haec exhibet: ‚sequester dicitur, qui certantibus medius intervenit, apud quem cuiuscumque futuri certaminis pignora deponuntur; hoc vocabulum ab sequendo factum est, quod eius qui electus fuerit, utraque pars fidem sequatur‘. Hac occasione data noli opponere nos quaestionem superfluam de scholio Vergiliano ab Isidoro exscripto instituere, cum ei fortasse Lactantii Placidi locus integer ad manus fuerit; nam primum loci non prorsus congruunt, deinde tam paucos Statii versus Isidorus affert, ut inde ab initio verisimile non sit eum adhibuisse illud Lactantii commentum; praeterea constat hunc et S scholiis et Servio pleniore usum esse; cf. Thilonis praef. p. XXXV sq., Philipp l. c. p. 61 sqq., qui in similitudines inter episcopum et Lactantium Placidum inquirens Isidorum illo usum esse recte negavit. Ipsum infra cum Isidori libris comparabimus. Sed revertamur ad DS scholium, quod integrum totum ab Isidoro exscriptum esse probabiliter puto me conicere, cum propter talem et rei et verborum consensum inter Isidorum et DS scholii reliquias non sit, cur tantum de scholii fonte ab Isidoro adhibito cogitemus. Immo quibus alia in DS commentario corrupisse crimini damus, eidem omiserunt ut videtur DS scholii verba cum Servianis congruentia, quae collata cum vulgatis libris manuscriptis servanda videbantur. Huc referenda sunt Barwickii verba l. c. p. 126: „Wenn hingegen das auf S folgende Scholion des DS sich aufs engste an S anschliesst und für sich kein Scholion ausmachen kann, so ist anzunehmen, dass ein Stück von DS, das inhaltlich dem vorausgehenden Serviusscholion entsprach, ausgefallen ist. . . . So konnte das Serviusscholion so passend durch DS ergänzt werden, dass man in den zusammengeschobenen Bemerkungen verschiedener Scholiasten das Scholion eines Kommentars zu erkennen glaubt“. Quodsi cum talibus scholiis Isidorus congruit, a veritate non aberrabimus statuentes saepe, non semper, ut alio loco ostendemus, tota fuisse Danielis Servii. Id igitur animadvertas praeter scholia omnino omissa etiam partes scholiorum servatorum facile perire potuisse. Perpauca exempla

exstant (cf. Barw. p. 132), quibus usi sumus p. 16, ut demonstraremus non solum Servii fontem, sed etiam Servium adhibuisse Isidorum, ubi S et DS scholia eisdem lemmatis adscripta integra sunt servata. Ubi igitur Isidorus congruit cum eo, quod reliquum scholii est, licet episcopi particula plenior sit, non utique opus esse videtur ei fontem scholii ante oculos fuisse.

Aliud argumentum in promptu est. Proficiscor ab eo commentatorum more, qui usque ad hunc diem viget, repetendi adnotationes ad vocabula vel sententias a poeta ipso repetita. Neque enim semper scholiasta satis habet aut certis de causis aut temere relegare legentem ad adnotationem semel factam. Quod imprimis consentaneum est accidere scholia adscribenti ad tam amplum opus Vergilianum plus duodecim milia versuum continens. Itaque minime mirum, si alio loco paulo aliis verbis eadem scholiasta explicat, quae ante vel post similiter tractata legimus. Huius consuetudinis saepe est testis Servius. Quo fit, ut Isidorus interdum cum pluribus scholiis congruat, quod ad rem attinet, exscripserit vero aliud. Conferas

Is. V 30. 14	S Aen. 2. 268	S Aen. 3. 63
et dictum mane a mano; manum enim antiqui bonum dicebant. Quid enim melius luce?	manum vero, unde est mane, bonum dixere veteres.	nam manum, ut supra diximus, bonum est; unde et mane dictum est.

Utrumque scholium est Isidoriano loco simile, fons eius est S Aen. 1. 139: manum enim antiqui bonum dicebant, *sicut supra dictum est,* unde et mane dicitur; quid enim melius?

Is. XVII 3. 16	S Aen. 7. 720	S geo. 1. 8
arista appellata, quod prius ipsa arescat.	... aristas, quas ab ariditate dictas esse constat.	... proprie arista ab ariditate sit dicta.

Adde DS geo. 1. 8: ‚*cum proprie arista ab ariditate sit dicta.* Quibus scholiis propius accedit ad Isidori verba S Aen. 7. 809: aristas] primas spicae partes, dictas ab eo quod primae arescant.

Hoc modo factum est, ut Nettleship p. 161 erraret, qui dubitabat, num Is. XI 1. 64 sumpsisset e scholio quodam, conferens

S buc. 3. 105; verba illius particulae exstant S geo. 3. 355. Praeterea cf. S Aen. 10. 297 et S Aen. 2. 23 cum Is. diff. verb. 535 et etym. XIV 8. 39; S Aen. 9. 263 et S Aen. 5. 112 cum Is. XVI 25. 22; S Aen. 8. 633 et S buc. 8. 16 et S Aen. 6. 207 cum Is. XV 2. 19 al. Saepe igitur —, nam multa huius modi exempla inveniuntur — Isidorus similiter rem tractat atque scholiasta pluribus locis, cum certum aliud scholium Isidorianae particulae fons sit. Eadem DS consuetudo est, cf.:

DS Aen. 11. 774	Is. diff. verb. 451	S Aen. 8. 337
vati] *hic vatem, supra* (ib. 768) *sacerdotem, ut de Heleno utrumque.*	.. vates autem plura significat, aut sacerdotes, aut poetas, aut prophetas.	vatis..]...nam vatem et poetam possumus intellegere....

Plenius est DS Aen. 2. 122: *vatem*] *nunc divinum, alias poetam* (Aen. 7. 41) *,tu vatem, tu diva mone,' alias sacerdotem, ut* (Aen. 11. 774) *,et aurea vati cassida.'*

DS Aen. 1. 456	Is. XVIII 1. 8	S Aen. 8. 547
sane pugna est temporale certamen, idem et proelium significat; bellum autem universi temporis dicitur, ut Punicum, Mithridaticum. Sallustius...; Livius... e. q. s.	bellum igitur est totum; pugna unius diei, proelium pars pugnae est. cf. diff. verb. 78.	bellum est tempus omne, quo vel praeparatur aliquid pugnae necessarium vel quo pugna geritur, proelium autem dicitur conflictus ipse bellorum e. q. s.

Scholium, unde Isidorus pendet, est DS Aen. 2. 397: *bellum est totum tempus, ut Iugurthinum, Punicum, Macedonicum; pugna unius diei; proelium pars pugnae.* Servianum scholium assumpsit ad DS verba diff. 78.

DS Aen. 1. 1	Is. XVIII 5. 1	S Aen. 1. 119
... *arma possunt et aliarum artium instrumenta dici, ut* (Aen. 1. 177) *,Cerealiaque arma.'*	arma generaliter omnium rerum instrumenta sunt; unde et ubi reponuntur, armaria dicta sunt.	arma enim dicuntur cunctarum artium instrumenta, ut (Aen. 1. 177) ,Cerealiaque arma.'

Ut p. 24 ostendimus, Isidorus usus est DS. Aen. 1. 177. Cf. etiam DS Aen. 8. 130 et Aen. 1. 744 et S Aen. 1. 162 al. cum Is. IX 5. 21. Vides etiam in pleniore commentario aliorum scholiorum consensum cum Isidoro inveniri, cui alio loco eadem verba subveniunt. Planum vero est, ubi similia de aliqua re proferunt Isidorus et scholiasta, haud difficile similitudinem ita explicari posse, ut episcopum usum esse putemus scholio quodam deperdito, quo vel ante vel post scholium servatum eadem paululum mutatis verbis exposita invenerit. Quae coniectura eo probabilior est, quod haec duo argumenta accedunt. Non solum in libris commenti deperditis et inter cetera scholia omissa verisimile est tales locos extitisse, ad quos scholiasta lectorem relegavit, sed in reliquiis, quas habemus, admodum multa exempla sunt inventa (cf. Barwick l. c. p. 118; adde Georgii commentationis inscriptae ‚Die antike Vergilkritik in den Bukolika und Georgika' in philologi suppl. 9. 1904 p. 214), ubi ad scholia omissa et librorum deperditorum et servatorum scholiasta legentes revocat. Praeterea hac de qua agimus consuetudine repetendi adnotationes magnopere DS usus esse videtur, cum ipse excuset haec: Aen. 4. 99: *licet fabula de Hymenaeo in primo libro* (651) *narrata sit breviter, tamen plenior talis est.'* ... Ceterum quod scholium Thilo significat, est Servii; DServii periit. De eadem re cf. ib. 127: *sane de Hymenaeo licet superius iam dictum est, tamen sunt etiam aliae opiniones;* adde DS Aen. 2. 57: *‚sane saepe dictum est* ...; Aen. 3. 48: *licet de Polydoro superius sit relatum, tamen propter varietatem rei necesse* (*est*) *repeti.* Duo hic adiungam exempla:

DS geo. 3. 113	Is. XVIII 34. 1
Varro in libro, qui Admirabilium inscribitur, Erichtonium ait primum quattuor iunxisse equos ludis, qui Panathenaea appellantur. de hoc Erichthonio alibi satis dictum.	Erict(h)onius autem, qui regnavit Athenis, primus quattuor equos iuncxisse fertur; sicut Vergilius auctor est dicens: (geo. 3. 113 sq.)

Nisi aliunde sumpsit quae in scholio desunt, e. g. ex Hieron. Chron. ann. Abr. 530 (quibus constat Isidorum saepe usum esse) haud scio an sua e scholio a DS significato derivaverit, quod

in deperditis est. Proxime sequentia verba cum Vergilii versibus excerpta sunt e Tertull. de spectac. 9; cf. Klussmanum l. c. p. 28; non e Serviano scholio ad geo. ib.

S et DS Aen. 1. 63	Is. XV 2. 22
omnis exitus porta dicitur, quasi qua potest vel importari vel exportari aliquid. *aut ideo ‚porta' quia ‚agmine' dixerat;*	porta dicitur, qua potest vel inportari vel exportari aliquid.
nam porta proprie aut urbis aut castrorum est.	proprie autem porta aut urbis aut castrorum vocatur, sicut superius dictum est.

Thilo p. XLII concedit Isidoro cognitum fuisse et S scholium et DS scholium aliquod verbis allatis simillimum, unde Isidorus etiam revocandi verba transscripsisset; negat enim ad ullum etymologiarum locum posse ea pertinere. Etsi non minus probabile esse puto Isidorum ipsum illa verba addidisse memoria deceptum quam Thilonis coniecturam excogitatam certe ad sustentandam eius opinionem de S et DS scholiis conexis, tamen illud quod Thilo proposuit, optime quadrat ad rationem modo expositam: etenim arbitratur Thilo illam revocandi vocem pertinere ad scholium aliquod ad geo. 4. 78 adscriptum, sed deperditum, quem ad versum de hac portae significatione facile scholiasta dicere potuerit. Servius autem bucolica et georgica post Aeneidem interpretatus est, DS contra a bucolicis et georgicis initium cepit, ut Donatus. Itaque hoc quoque modo nonnullos Isidori locos similes scholiis quibusdam accipi posse e DS commentario integro exscriptos haud temere conicitur.

Denique ne aliis Isidorianis particulis fontem scholiorum, sed scholia ipsa subesse contendam, haec causa me movet. Quamvis ex ipsius Isidori verbis — (cf. epistolam ad Sisebutum datam, quam sextam editioni praefixit Lindsay) notum sit opus eum confecisse ‚sicut exstat conscriptum stilo maiorum' neque fontes nos invenisse contendere possimus nisi eadem verba continent, quae Isidorus exhibet, tamen nonnumquam facilius quam rectius ad fontem communem revocatur consensus rei Nam haud pauca scholia cum Isidoro congruentia occurrunt, quorum verbis ipsis impedior, quominus statim verisimile esse concedam

fontem scholii propius ad episcopi verba accedere quam DS scholium ipsum. Sed potius hanc rem exempla illustrent:

DS Aen. 2. 464	Is. XV 3. 12
olim sane domus de tabulis fiebant, unde hodieque in aedificiis surgentibus primum et secundum tabulatum dicimus. cf. DS geo. 2. 361: ... *et est relatio facta ad domos, in quibus exstructiones singulae tabulata dicuntur.*	tabulata olim ligneae domus fiebant. Inde nomen permanet tabulatorum.

Haud scio an huc etiam Expos. geo. 2. 502 sit referendum, ubi fortasse recte coniecit Lion ‚tabulata'. Veri dissimillimum est fontis verba magis cum Isidoro congruisse quam scholium DS ipsum, quem satis diligentem fuisse in fonte adhibendo constat; immo Isidorus videtur e peculiari scholiastae sententia formavisse generalem, quam in tale opus saepe recipere necessario satis habuit.

DS Aen. 3. 171	S ib.
Dictaeus mons est in Creta, ubi herba dictamnos nascitur, quae admota vulneribus ferrum inhaerens solit expellere.	Dictaeus mons Cretae est
qui mons dictus est a Dicte nympha, quae ibi colitur.	dictus a Dicte nympha quae illic colitur:
quam cum Minos rex amaret.... et nomine eius Dictaea loca appellari iussit.	
in hoc monte dicitur altus Iuppiter ut (geo. 4. 152) *‚Dictaeo'* e. q. s.	in quo dicitur altus Iuppiter ut (geo. 4. 152) ‚Dictaeo' e. q. s.

En habes duo scholia, quae ex eodem fonte exscripta esse dixit Barwick l. c. p. 122. Et talis eorum consensus est, ut in communi fonte alia extitisse atque id scholium, quod nunc legimus, negandum sit. Quocum conferas Isidori verba XVII 9. 29: ‚Dicta mons Cretae, ex quo dictamnum herba nomen accepit, propter quam apud Vergilium (Aen. 4. 73) cerva vulnerata saltus peragrat Dictaeos. Tantae enim potentiae est, ut ferrum a corpore expellat, sagittas excutiat; unde et eius pabulo ferae percussae sagittas a corpore inhaerentes eiciunt.

Hanc quidam Latinorum puleium Martis dicunt, propter belli tela excutienda', quae primo obtutu haud scio an suspiceris e scholio antiquiore fluxisse, cum sua ne e S et DS Aen. 4. 73 quidem episcopum hausisse appareat. Accuratius autem Isidori particulam intuentem non potest effugere, quae ille exhibet, non deberi uni fonti, cum eadem aliis verbis quater iterentur: ,tantae enim potentiae est, ut ferrum a corpore expellat, sagittas a corpore excutiat; unde et eius pabulo ferae percussae sagittas a corpore inhaerentes eiciunt. Hanc quidam L. p. M. dicunt propter belli tela excutienda.' Est exemplum aptissimum, quo demonstretur optimo iure dixisse Ebertum Isidoro neminem maiorem compilatorem. Hosce enim fontes excerpsit hic Isidorus: DS Aen. 12. 412 (nimirum scholium integrum, postea conexione cum Serviano mutilatum): Dictamnum] haec herba licet ubique nascitur, melior in Creta est, *quae Dicta dicitur, unde proprium herbae nomen.* DS ib. 413: *de hac herba in IV* (*72*) *ait de vulnerata cerva ,illa fuga silvas saltusque peragrat Dictaeos';* Dioscoridis περὶ ὕλης ἰατρικῆς l. 4 cap. 34 (cuius Latinam versionem non servatam ab Isidoro adhibitam esse ostendit Stadler in arch. lat. lex. 1898 p. 411): τοιαύτη δὲ τῆς βοτάνης ἡ δύναμις ὡς κτλ.; scholium, unde profecti sumus; *,herba ... ferrum inhaerens solet expellere';* Solini 19. 15: ,dictamnum ipsi prodiderunt, dum eo pasti excutiunt accepta tela', quae omnia XII 1. 18 exscripsit Isidorus pro ,tela' vocabulo ponens ,sagittas'; Dioscorid. l. c.: *φασὶ δὲ καὶ τὰς αἶγας ἐν Κρήτῃ τοξευθείσας καὶ νεμηθείσας τὴν πόαν ἐκβάλλειν τὰ τοξεύματα,* ib.: *δίκταμνος ἣν καλοῦσί τινες γλήχωνα ἀγρίαν* i. e. puleium silvestre. Hoc modo quin Isidorus conscripserit etymologiarum libros, dubium non est, cum satis multis exemplis constet, quae occasione data infra augebuntur, excerpta ex variorum scriptorum libris hac ratione ab episcopo conglutinata esse.

DS geo. 2. 383	Is. XV 2. 15
compita] ... *locus* ... *ubi pagani agrestes, bucina convocati, solent certa inire concilia* e. q. s.	conpita sunt ubi usus est conventus fieri rusticorum; et dicta conpita quod loca multa in agris eodem conpetant; et quo convenitur a rusticis.

Etymologiam nisi e parte scholii ideo omissa, quia ad versum

antecedentem Servius similem protulerat, haud scio an e glossa Placidi V 11. 23 = V 57. 34 sumpserit. Cetera autem non minus recte scholio allato tribuuntur quam eius fonti, ubi eadem res profecto eadem subtilitate erat tractata; cf. etiam schol. ad Pers. 4. 28. Paulo aliis verbis Isidorum rusticorum usum a suis temporibus alienum descripsisse conicio; cf. Is. XVIII 4. 1.

S et DS Aen. 1. 520	Is. X 171
maximus Ilioneus] rebus omnibus maximus; nec enim aliquid addidit. *ergo et aetate et honore et facundia et omni virtute accipiunt.*	maximus, aut meritis aut aetate aut honore aut facundia aut virtute aut omnibus magis eximius.

Thiloni adversari supersedeo, qui p. XLV dubitat, num sit scholium genuinum; optime enim quadrat ad poetae vocabulum interpretandum; cf. etiam Georgii libri, qui inscribitur ‚die antike Aeneiskritik' ad hunc versum p. 87. Talia addidit Isidorus, de quibus neque poeta neque scholiastae videntur cogitasse, verba dico, quae sunt ‚aut meritis' et ita mutavit scholium disiungens virtutes, quas cumulat DS, cf. etiam S, ut scholium antiquius eadem verba atque Isidorum non praebuisse certum sit.

DS Aen. 9. 611	Is. XIX 22. 22
sane vestes acu pictas coloribus Phryges primi invenerunt; nam ideo et artifices talium vestium phrygiones appellati sunt.	unde et artifices, qui id faciunt, Phrygiones dicuntur. Vergilius (Aen. 3.484).

Prior paragraphi pars sumpta est e S Aen. 3. 484. Minime putaverim, quae parum eleganter pro ‚talium vestium' ab Isidoro videntur dicta esse, redire ad fontem; cf. Plin. 8. 196.

Cum Is. XII 7. 57 contulit Thilo S Aen. 10. 145; debebat scholium DS ib. addere:

DS	S
et Capys, hinc nomen Campanae d. n.] *iste quidem hoc dicit, sicut Ovidius, qui Capyn de Troianis esse commemorat* (fast. 4. 45)..., *Coeliusque Troianum Capyn condidisse Capuam tradidit eumque*	iste quidem dicit a Capy dictam Campaniam.

.... alii .... sed Capuam vult Livius a locis campestribus dictam, in quibus sita est. alii .... constat tamen eam a Tuscis conditam de viso falconis augurio, qui Tusca lingua capys dicitur, unde est Capua nominata. Tuscos autem aliquando omnem Italiam subiugasse manifestum est. alii e. q. s.	sed Livius vult a locis campestribus dictam, in quibus sita est. sed constat eam a Tuscis conditam viso falconis augurio, qui Tusca lingua capys dicitur, unde est Campania nominata. Tuscos autem omnem paene Italiam subiugasse manifestum est.

Ex consensu Servii et Servii Danielis tibi concludendum videbitur in scholiorum fonte prorsus eadem verba fuisse. Unde vero hausit Isidorus haec: XII 7. 57: ‚Capus Itala lingua dicitur a capiendo. Hunc nostri falconem vocant, quod incurvis digitis sit', quae quodam vinculo cum scholiis coniuncta esse nemo negabit? Adde eiusdum scholii DS haec verba: *‚alii ... Tuscos ... Capuam vocasse ob hoc, quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curvi fuerunt, quem ad modum falcones aves habent, quos viros Tusci capyas vocarunt'*. Quibus fortasse libere usus Isidorus particulam conscripsit. Unde duo discuntur neque semper uberiore fonte fingentes nos Isidori verba ipsa assequi posse, ubi quaedam inter illum et scholium diversitas est, et non solum alio loco, sed etiam in eodem iterari similes explicationes aliis verbis, qua re in memoriam revocatur Donati ‚munus conlaticium'. Huic loco non videtur subesse Fest. P. p. 78. 17.

Idem fere iudico de ultimis scholii modo allati verbis, quae ad Isidori XV 1. 54 pertinent; cf.

DS	Is. XV 1. 54
Varro dicit propter caeli temperiem et caespitis fecunditatem eundem Capuanum cratera dictum quasi sinum salutis et fructuum.	Capuam ... licet sint qui dicant a capacitate eam Capuam dictam, quod eius terra omnem vitae fructum capiat. alii a locis campestribus, in quibus sita est.

Licet extrema verba e priore parte scholii allati exscripta sint, tamen cetera neque ex hoc loco neque e scholii fonte fluxisse

apparet. Hanc similitudinem non possum explicare nisi ita ut huius scholii partem deperditam vel aliud scholium omnino omissum Isidori fontem esse ponam. Cf. DS Aen. 1. 2. Haud scio an Isidorus libidini etymologiam fingendi indulgens scholiastae vel Varronis verba flexerit, cum hi quidem propter fecunditatem campi Capuam dictam esse cratera quasi sinum fructuum dicant, ille autem Capuam a capacitate, quod fructum capiat, ductam esse arbitretur; cf. supra allatam etymologiam capi avis a capiendo, quam in aliis quoque vocabulis enodandis satis saepe adhibet: adde XII 1. 15, XV 12. 2, XVII 5. 11.

DS Aen. 2. 7	S ib.
Myrmidones sunt Achillis socii, Dolopes Pyrrhi, quos ut quidam volunt de Scyra insula duxit ad Troiam. dicti autem sunt Myrmidones propter hanc causam; Aeacus .... quod cum vidisset petit a Iove, ut formicae id est μύρμηκες, *quas casu animadverterat plures, in homines et suos socios verterentur,*	Myrmidones sunt Achillis socii, Dolopes Pyrrhi, qui eum de Scyro secuti sunt. dicti autem sunt Myrmidones propter hanc causam: Aeacus cum in arbore fici formicas, id est μύρμηκας vidisset, optavit tot sibi socios evenire.
qui statim mutati in homines Myrmidones appellati sunt. sed hoc fabula est. nam Eratosthenes dicit Myrmidonas dictos a rege Myrmidono, Iovis et Eurymedusae filio. e. q. s.	et statim formicae in homines versae sunt. sed hoc fabulae est. nam Eratosthenes dicit Myrmidonas dictos a rege Myrmidono.

Cum his scholiis conferas Is. IX 2. 75: ‚Myrmidones fuerunt Achilli socii, Dolopes Pyrrhi, dicti autem sunt Myrmidones propter astutiam, quasi μύρμηκες, id est formicae. Eratosthenes autem dicit dictos Myrmidonas a Myrmidone duce, Iovis et Eurymedusae filio‘. Quis est qui contendat Isidorum non DS scholio, sed eius fonte usum esse? Luce clarius ex consensu S et DS apparet in fonte non vocem ‚propter astutiam‘ exstitisse, quam Isidorus ipse posuisse videtur, ut DS scholii expositionem complecteretur.

§ 6. His igitur omnibus argumentis nixus alia scholia eis addam, quae usque adhuc episcopum e DS commentario excerpsisse dixi. Eos locos, quorum aliquid intererit, accuratius

tractabo; nec non huic indici inseram eos, quos licet Thilo cum DS scholiis contulerit aliunde fluxisse puto, ne quid videar praetermittere. Alia scholia comparanda cum aliorum scriptorum locis ad eundem scholiastam spectantibus postea afferam; cf. p. 84.

DS Aen. 1. 70 cf. cum Is. XVIII 2. 7; § quae cum scholio ad verbum congruit, praebet locum Sallustianum, qui in scholio deest. Dubitari potest, utrum episcopus illud exemplum ex ipso Sallustio addiderit an ex integro scholio sumpserit. Eum enim Sallustii libros adhibuisse constat; cf. Dresselium p. 12 sqq. et Philipp p. 67 sqq. Sed etiam e commentariis multa Sallustiana haurire potuit, quae ad Asprum redibant. De hac quaestione in altera dissertationis parte, de qua cf. p. 84, pauca dicenda sunt.

DS Aen. 1. 93: *palmas*] *manus explicitas* — Is. XI 1. 69. Dubium est, num recte Thilo hoc scholium ad Isidori locum referat; cf. Is. I 17. 8.

DS Aen. 1. 111: *vada-βραχέα* cf. cum Is. XIII 18. 6 et de nat. rer. 44. 2.

Is. XIV 4. 1 cf. cum DS Aen. 1. 338 et 385, ubi DS verba Servianis inserta nemo non videt facile potuisse mutari. Scholii fons fuit fortasse Verrius Flaccus; cf. Paul. p. 68. 19; adde Hieronym. chr. Abr. 731. Prima particulae verba sunt Solini 3. 1.

S et DS 1. 373	Is. I 44. 3
inter historiam et annales hoc interest: historia est eorum temporum, quae vel vidimus vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, i. e. videre; annales vero sunt eorum temporum, quae aetas nostra non novit. unde Livius ex annalibus et historia constat. haec tamen confunduntur licenter, ut hoc loco pro historia inquit ‚annales'. *ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et*	Annales sunt res singulorum

aliorum magistratuum digna memoratu notare consueverat domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies. cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt e. q. s.

annorum. Quaequae enim digna memoriae domi militiaeque, mari ac terrae per annos in commentariis acta sunt, ab anniversariis gestis annales nominaverunt. § 4. Historia autem multorum annorum vel temporum est, cuius diligentia annui commentarii in libris delati sunt. Inter historiam autem et annales e. q. s.

Servii verba fere immutata exhibet Isidorus § 4. De ratione, quae inter eum et DS intercedat, accuratius sententiam exposuit Thilo p. XL, ubi et Isidorum et DS et Macrobium III 2. 17 ex eodem fonte hausisse dicit. Mihi Isidori verba iterum atque iterum legenti episcopus admodum prave sua compilavisse videtur. Quam non inter se cohaerent, quae de historia profert! Hanc multorum annorum vel temporum esse dicit, cuius diligentia annui commentarii in libris delati sint. ‚Cuiusnam diligentia' quaerenti praesto est Grialii adnotatio exoptata: eius dici historiam, cuius opera ex annalibus historia sit composita aut certe annales plures in volumen unum redacti. Arevalus nescit, an Grialius Isidori mentem assecutus fuerit. Quae virorum doctorum dissensio oriri potuit, cum episcopus ea verba quae exsribenda sibi proposuit, pertinentia tantum ad annales conficiendos male discerpserit, ut annalium et historiae differentiam describeret, quam in DS scholii fonte fuisse verisimile non est collato Macrobii loco. Itaque quae scholiasta in commentariis scripta esse dicit, ad annales refert Isidorus, ad historiam ea, quae ille de commentariis in libros redactis. Quae cum ita sint, nihil video, cur episcopus ad fontem scholii, non ad scholium ipsum se applicavisse putandus sit. Nettleship p. 168 sq. de Verrio Flacco Isidori fonte cogitat, cum e Gellii 5. 18 illum de hac re verba fecisse appareat; nimio scholii et Hispalensis particulae consensu impedimur, quominus incertam hanc rationem fontium investigandorum sequamur.

DS Aen. 1. 398	diff. verb. 6
hoc enim interest inter augurium et auspicium, quod augurium et petitur et certis avibus ostenditur, auspicium qualibet avi demonstratur et non petitur.	inter auspicia et auguria: auspicia sunt, quae inchoantur et ultro veniunt, auguria, quae consuluntur et consequuntur·

Isidori differentia, quam Thilo adnotavit, cum scholio non congruit nisi quod ad rem attinet. Cum verisimile non sit episcopum hoc scholio neque eius fonte usum esse, haud scio an differentiarum quem librum adierit; cf. Beckium p. 40. 108, cuius differentiae medela ex Isidori loco repetenda esse videtur. DS autem toties augurum disciplinam tangit, ut fortasse aliud scholium sit Isidori fons; alias augurii et auspicii differentias profert DS e. g. Aen. 3. 20; cf. ib. 89.

DS Aen. 1. 557 cf. cum Is. XIII 18. 2 et de nat. rer. 44. 2; adde S Aen. 1. 607. Isidorus usus est aliquo pleniore scholio deperdito.

S et DS Aen. 1. 701 cf. cum Is. XIX 26. 6; cf. S geo. 4. 376. Idem potuit haurire e Fest. p. 118. 16 cum Paul. p. 119. 6.

DS Aen. 1. 708 — Is. XX 1. 2. Hoc scholio Isidorus usus non est; etymologiam sumpsit e S Aen. 2. 2 vel 5. 388, quos ad versus simile DS scholium adscriptum fortasse periit.

DS Aen. 1. 744 *‚has quidam vergilias dicunt, quod vere florido oriantur‘* contulit Thilo cum Is. III 71. 13, cuius particulae fons est S geo. 1. 138; ascivit Isidorus etiam Hygin. astr. 2. 21 p. 64, unde plura exscripsit de nat. rer. 26. 6; cf. Schenk l. c. p. 16 et 50.

S et DS ib. *et proprie triones* sunt boves aratorii, *qui terram terunt.* adde DS Aen. 3. 516.	Is. III 71. 7: triones enim proprie sunt boves aratorii, dicti eo quod terram terant, quasi teriones.

DS Aen. 2. 18 — Is. V 26. 18 et X 106. Hanc particulam et diff. verb. 340 debet Isidorus S geo. 3. 407; priorem particulam Paulo (digest. de furtis 47. 2. 1), cuius libris qua ratione usus sit, exponunt Dirksen l. c. et Kuebler l. c. Quod utroque etymologiarum loco dicit ‚furvo id est fusco‘, cum et scholium et Paulus exhibeant ‚furvo id est nigro‘, inde non suspicaberis eum adhibuisse alios fontes atque commemoratos.

DS Aen. 2. 171 — Is. VIII 11. 74. Isidori auctor est Augustinus de civ. dei 18. 8.

DS Aen. 2. 234 contulit cum XV 2. 18 Thilo, quem effugit Isidorum exscripsisse S Aen. 11. 567.

S et DS Aen. 2. 312	Is. XIV 7. 2
... Sigeum, quod dictum est propter Herculis taciturnitatem, qui prohibitus hospitio *a Laomedonte* simulavit abscessum et inde contra Troiam per silentium venit, quod dicitur *σιγή*.	dictum autem Sigeum propter Herculis taciturnitatem, quia prohibitus hospitio a Laomedonte Troianorum rege simulavit abscessum et inde contra Troiam venit cum silentio, quod dicitur *σιγή*.

Sicut DS Aen 2. 7 (cf p. 57) exscriptum esse vidimus, cuius S ib. simillima protulit, item hic rem se habere puto; eorumque reminiscaris, quae Barwick (cf. supra p. 48) docuit de DS scholiis ita cum Servianis conexis, ut DS verba plenum scholii sensum non praebeant. DS scholii ab Isidoro exscripti pauca omiserunt, qui S et DS scholia conectebant.

DS Aen. 2. 357 — Is. XII 2. 27; cf. Non. p. 457; e tali scholio sumpsit Isidorus generalem sententiam, cetera e S geo. 3. 438.

DS Aen. 2. 426 — Is. X 7 et 124 et diff. verb. 68.

S et DS Aen. 2. 616	Is. XIX 31. 2
nimbo] nube divina. *est* [*enim*] *fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur. sic etiam pingi solet* e. q. s.	nam et lumen, quod circa angelorum capita pingitur, nimbus vocatur, licet et nimbus sit densitas nubis.

Hanc nimbi significationem non esse alienam a Vergilio ostendit Sittl in arch. lat. lex. vol. 11 p. 119; cf. Nordeni commentarii in Aeneid. lib. sextum p. 276 sq. Non est, cur dubitemus, quin sit scholium genuinum; immo Isidorus immutavit DS verba ad sensum Christianum. Tot autem similium scholiorum reliquiae exstant, ut facile possit conici Isidorum aliquo pleniore scholio usum esse; cf. S Aen. 2. 590; ib. 694; S et DS Aen. 3. 151; DS ib. 587; S Aen. 5. 839; DS Aen. 9. 110; S Aen. 10. 634; adde comm. Bern. ad Lucan. 9. 11.

S et DS Aen. 2. 681	Is. XI 3. 3
.. monstrum] ... dictum a monstrando, *id est monendo*, et refertur ad praesens eius significatio e. q. s.	monstra vero a monitu dicta, quod aliquid significando demonstrent sive quod e. q. s.

Totum fere initium huius capitis Isidorus ex August. de civ. dei 21. 8 sumpsit, inde etiam verba ‚quod aliquid — demonstrent'; quae sequuntur ‚sive quod' sunt Servii Aen. 3. 26. Itaque monstri etymologia a monitu derivata non e Fest. p. 122. 7 cum Paul. p. 125. 5 fluxit, sed e scholio, praesertim cum et haec verba et e DS Aen. 3. 366 exscripta praebeat diff. verb. 459.

DS Aen. 2. 683 — Is. XIX 30. 5. Tam similia sunt inter se scholia (cf. etiam S Aen. 7. 688 et 8. 664 ab Isidoro VII 12. 18 sq. exscripta) et Isidori particula, ut superfluum sit de alio fonte cogitare, velut de Festo, cf. Paul. p. 9. 27, 17. 6, 21. 10 et de Suetonio, cui recte Reifferscheid nihil attribuit nisi DS verba. Episcopus compilavit sua ex DS Aen. 2. 683 et DS Aen. 10. 270.

DS Aen. 2. 704 — Is. V 25. 32.

DS Aen. 2. 725, cf. ib. 208 — diff. verb. 436; dubito, num e tali scholio illa differentia fluxerit; cf. potius Prisc. III p. 84. 10; Capri VII 99. 23.

DS Aen. 2. 725 — diff. 42, etym. XIV 8. 34; adde S et DS Aen. 5. 128 et S Aen. 6. 312. Etymologiae ‚aprica et opaca' vocabulorum ab ‚aperto et operto' caelo ductae ad Festum redeunt, cf. p. 200. 5 et Paul. p. 2. 16; quarum nec vola nec vestiguum in scholiis invenitur.

DS Aen. 3. 22	Is. XIV 8. 21
nam et terrae congestio super ossa tumulus dicitur e. q. s.	item tumulus terra congesta, ubi nulla memoria est.

Simili vel integro scholio usus est Isidorus; diff. verb. 522 verba quae huc pertinere vult Thilo, e S Aen. 2. 713 exscripta sunt.

S et DS Aen. 3. 30 cf. cum Is. X 102 et 272.

DS Aen. 3. 71 — diff. 156; fons est S Aen. 1. 551.

DS Aen. 3. 134 — diff. 307 et etym. XX 10. 1; adde DS Aen. 11. 211 et S Aen. 6. 265.

DS Aen. 3. 229 — diff. 92; adde S Aen. 8. 220 et Beckium p. 43. 2.

DS Aen. 3. 246: *alites enim — inebrae vocantur* cf. cum Is. XII 7. 77; cf. DS Aen. 1. 394 et 398, ib. S 393; S et DS Aen. 3. 361; S Aen. 4. 462; S et DS Aen. 6. 15; similia exhibet Festus pluribus locis, cf. p. 214. 14; 3. 10; 97. 12; 224. 6; 286. 14.

DS Aen. 3. 419 — Is. XIII 18. 1 et de nat. rer. 44. 2, quas particulas Philipp p. 53 tribuit S Aen. 11. 627; Isidorus pendet e Plin. ind. 1. 99.

DS Aen. 3. 421 et 422 — XIII 18. 5. Reliqua huius paragraphi verba e Sallustio petita esse dixit Dressel p. 21, eumque secutus Philipp p. 69; non adversor. Attamen niti non potuerunt hac particula, ut Sallustii ipsius libros episcopum adiisse demonstrarent; nam e DS Aen. 1. 117 et 3. 425 potuit haurire, quae affert, cf. Arusian. Mess. VII 472. 16.

DS Aen. 3. 525 — Is. XX 3. 3; propius autem ad Isidorum accedit glossa Placidi V 116. 30. Unde hauserit ‚merum' vocabuli significationem, quam dicit ‚putum' cf. III 42. 3; V 30. 15; XIII 1. 6, nescio; fortasse e scholio aliquo deperdito. adde diff. verb. 41.

DS Aen. 3. 587: *sane noctis septem tempora ponuntur* e. q. s. confert Thilo cum Is. V 31. 7—13, quas particulas Deuerling gloss. Placid. praef. p. XVI e Suetonio fluxisse putat, cum inter glossas Placidi similes Isidori verbis et Isidorum aliqua sit diversitas, ut non ex ipsis glossis exscripta esse putanda sint. Wessner tamen (script. hebd. Berol. 1910 col. 818) suo iure contendit contra Schenkium de nat. rer. 2. 2 sq. respondere glossis Placidi VI p. 741 sq.; etym. V 31 alia eisdem inserta esse. Nam patet § 9 et 10 redire ad S Aen. 3. 587, § 13 fin. et 14 ad plenius scholium S Aen. 11. 4; verisimile est § 5 pertinere ad scholium deperditum, cf. S Aen. 8. 590. Tam pauca sunt reliqua, ut haec sola e Suetonio ipso sumpta esse vix putaveris. ‚Tenebrarum' etymologiam facillime aliunde, nescio ex quo fonte, § 6 inserere potuit; eodem modo iudico de matutini et diluculi etymologiis, quae de nat. rer. 2. 3 desunt; cum his cf. Hieronym. (op. mant.) M 30 p. 641 A, comm. in ev. sec. Marc., quos Fortunatiano tribuit Wohlenberg, commentatione in-

scripta ‚ein alter lateinischer Kommentar über die 4 Evangelien‘, quam inseruit studiis theologicis d. d. Zahnio (1908) p. 391 sqq.

DS Aen. 3. 688 — de nat. rer. 44. 5 et etym. XIV 8. 43, cf. S Aen. 1. 400.

S et DS Aen. 3. 689 — XIV 6. 35, cf. Philippum p. 15 sqq., ubi superfluam quaestionem instituit, cum parum recte Servio vindicet ‚Syracusanis‘ pro ‚Syracusis‘; scholiis conexis genuinam DS lectionem mutilatam esse apparet.

DS Aen. 3. 699	Is. X 216
proiecta] *porrecta, extenta, ut* (Aen. 10. 587); cf. S et DS Aen. 10. 587 et DS Aen. 5. 238.	proiectus, porro eiectus ac proiactatus, unde et (Aen. 3. 699) ‚proiectaque saxa‘, id est porro iactata.

Sed cum vocabulorum a ‚pro‘ incipientium etymologiam persaepe ad ‚porro‘ referat — cf. huius paragraphi priorem partem, § 215 bis, § 224, XIV 9. 4, IX 5. 27 sq. al., haud scio an haec in eis libri decimi particulis habenda sit, quae Isidori ipsius esse monuit Georgius Goetz (Paul. et Wissow. sub voce ‚glossographia‘ vol. VII fasc. 1 p. 1447).

DS Aen. 4. 32 — diff. verb. 310. Cum Isidorus varium poetarum usum adnotet, id quod differentiis scholiastae addere solent eosque secutus Isidorus, non differentiarum ipsi scriptores, verisimile est episcopum e scholio aliquo pendere; cf. etiam S Aen. 1. 590, non e Suetonio, cf. Reiffersch. p. 274.

DS Aen. 4. 35 *aeger et aegrotus* — diff. verb. 69. Sollemnis differentia hinc sumpta non est, posterior pars e S Aen. 1. 208.

S et DS Aen. 4. 130 — III 71. 18. Etsi Paul. F. p. 92. 13 (cf. Nettleshipium p. 165) prope ad Isidori verba accedit, tamen fons videtur esse integrum scholium, non Verrius Flaccus; posterior loci Isidoriani pars fortasse e glossa Placidi V 28. 11 fluxit. Ceterum moneo Manitium l. c. errare, qui imprimis huius capitis Plinium fontem putat; nam auctores, quot invenire contigit, sunt scholia, Hygini astronomicon liber, Augustinus, Tertullianus.

S et DS Aen. 4. 131 — Is. XVIII 7. 4. DS verba conexis scholiis decurtata sunt. Quae Isidorus addit, Lindsay Martialis epigramma esse ostendit, quod ad scholium integrum pertinere

nego. Nam cum perraro a grammaticis scholiastisque Martialis versus afferantur, duo tantum a Servio, nullus a DS, fieri non potest, ut putemus e scholiis deperditis fluxisse Martialis quattuordecim epigrammata, quae citat Isidorus. Immo quin illum poetam ipse legerit, non dubito. Ita enim eius epigrammatis utitur, ut ex eis saepius etymologias depromat (cf. imprimis X II 7. 24; XVI 2. 8; XX 4. 13) et ea velut in exemplo, de quo agimus, prosa oratione circumscribat, haud scio an ‚ex veteris lectionis recordatione', ut in epistula supra commemorata dicit, versus corrumpens. Cf. quae de Martialis memoria apud Alcimum Avitum docuit Carolus Weyman mus. rhen. 42 p. 637.

DS Aen. 4. 262 — Is. XVI 7. 8.

DS Aen. 4. 344 — Is. XVII 6. 10; cf. S Aen. 10. 58.

S et DS Aen. 462	Is. XII 7. 39
sola bubo] .... *ubi enim sederit et cecinerit, solitudinem significat. secundum auguralem disciplinam* e. q. s. ... item Ovidius (cf. metam. 5. 550) ‚infandus bubo'.	... de qua Ovidius (metam. 5. 549 sq.) ... denique apud augures malum portendere fertur. nam cum in urbe visa fuerit, solitudinem significare dicunt.

Manifestum est scholiastam, ex quo pendet DS, non minus diligenter descripsisse bubonis omina quam DS. In scholio integro haud scio an invenerit episcopus Ovidii versus, quorum alterum parum accurate significat Servius.

DS Aen. 4. 511 — Is. III 53. 1 et de nat. rer. 18 loci a Thilone collati dissimillini sunt.

S et DS Aen. 5. 205 et buc. 4. 44 — Is. XII 6. 50 et XVI 3. 3; adde M. Ceti Faventin. 27. 308.

S et DS Aen. 5. 270, 705 — Is. I 1. 2 et 5. 2; fons est Cassiod. M 70 p. 1151. C 559.

DS Aen. 5. 287 — diff. 223; cf. diff. 449. 468; adde S Aen. 1. 191 et DS Aen. 8. 176.

S et DS Aen. 5. 288 — Is. XV 2. 34 et XVIII 42. 1.

DS Aen. 6. 14 *quidam hunc Daedalum e. q s.* — Is. XIX 19. 9. Isidorus pendet e simili scholio, cf. S et DS geo. 1. 143, ubi similia exstitisse haud scio an e Servii verbis concludi possit. Idem fere iudico de his locis:

S et DS Aen. 6. 289 – Is. XI 3. 29; accuratius verbosiusque Gorgonum fabulam scholiasta enarrat, quam quin abhorreat ab Isidori libri indole. Sed quia Isidori particula similis est Servii verbis, fortasse his congruens scholium deperditum exscripsit episcopus, praesertim cum similia DS Aen 2. 616 exhibeat. Ceterum plures fontes miscuisse videtur; cf. Augustin. de civ. dei 18. 13 et Hieronym. chr. a. Abr. 670.

S et DS Aen. 6. 552 — XVI 13. 2. Isidorus ex his locis sua conflavit: Hieronym. M 25 p. 1073 B/C 329; Solin. 52. 53 sqq.; Plin. 37. 55 et 57 et 59 et 61; cf. August. de civ. dei 21. 4. Ex Hieronym. ib. p. 1074 B 330 exscripsit, quae similiter de adamante dicit XII 1. 14. Nihil hoc scholium suppeditavit.

S et DS Aen. 7. 741	Is. XVIII 7. 7
cateias] tela Gallica: unde et Teutonicum ritum dixit. *cateiam quidam asserunt teli genus esse tale, quale aclydes sunt, ex materia quam maxime lenta, cubitus longitudine, tota fere clavis ferreis illigata, quas in hostem iaculantes lineis, quibus eas adnexuerant, reciprocas faciebant.* adde S ib. 730: aclides sunt tela quaedam antiqua, adeo ut nequaquam commemorentur in bello. legitur tamen, quod sint clavae cubito semis factae, eminentibus hinc et hinc acuminibus: quae ita in hostem iaciuntur, religatae loro vel lino, ut peractis vulneribus possint redire. putatur tamen esse teli genus, quod flagello in immensum iaci potest.	clava est qualis fuit Herculis, dicta quod sit clavis ferreis invicem religata; et est cubito semis facta in longitudine. haec et cateia, quam Horatius caiam dicit. est enim genus Gallici teli ex materia quam maxime lenta, quae iacta quidem non longe propter gravitatem evolat, sed quo pervenit, vi nimia perfringit; quod si ab artifice mittatur, rursum redit ad eum qui misit. huic meminit Vergilius dicens (Aen. 7. 741) . . . . Unde et eos Hispani et Galli tautanos vocant.

Pauca DS commenta lib. 6 et 7 fere omnino deperditorum libris manuscriptis servata sunt, libri 7 nonnulla scholia, e quibus est sch. ad v. 741 adscriptum, nusquam leguntur nisi in

Turonensi, de quo quid sentiendum sit, commemoravi. Alia, quae exhibet, meliora sunt quam ceteris codicibus servata, alia ex posteris exscripta, ex Isidoro quoque, unde scholium ad v. 741 non pendet; nam cateias lino adnexas militibus itaque reciprocas esse scholiasta dicit, quod ex Isidoro haurire non potuit, quippe qui artifici hoc miraculum tribuat. Quod cum Turonensi congruit Servius, cuius ad aclydes adscriptam adnotationem cum cateiae interpretatione episcopus confudit, secutus DS scholium (cf. ‚tale quale aclydes sunt'), inde cognoscitur etiam in fonte scholiorum de telo cum mittentibus colligato fuisse sermonem. Quo modo autem diversitas, quam inter DS et Isidorum esse non infitior, explicari potest? Alterum ab altero pendere e verborum similitudine et versu Vergiliano ab Isidoro citato elucet, etsi verisimile est eum pauca aliunde petivisse; nempe quae de Herculis clava dicit, ad Festum redeunt; cf. Paul. p. 54. 18; de suo addidisse videtur clavas ab Hispanis et Gallis ‚tautanos' vocari; unde hauserit id quod de cateia ab Horatio ‚caia' appellata profert, incertum est, neque Horatii scriptis probatur. Cetera autem plenius scholium redolent, cui sententiae favet Thilonis adnotatio critica; nam et lacunam indicavit Daniel post ‚lenta' et scholium proxime antecedens Turonensi quoque traditum ipse concedit Thilo ab homine imperito in brevius contractum esse apparere.

DS Aen. 8. 43 — Is. XV 1. 53; cf. S et DS Aen. 1. 270, S Aen. 3. 390 al., adde Hieronym. chr. Abr. 862 et Augustin. de civ. dei 18. 20.

DS Aen. 8. 85 — diff. verb. 498; cf. Beck p. 81. 1.

DS Aen. 8. 285 — Is. XVIII 50; cf. DS ib. 663; Fest. p. 438.

DS Aen. 8. 307 — Is. X 197.

DS Aen. 8. 316 — diff. verb. 339; cf. etym. II 10. 1; V 3. 2; S Aen. 7. 601.

S et DS Aen. 8. 336 — Is. I 4. 1; cf. S et DS ib. 51. DS adnotatio scholiis conexis paululum decurtata esse videtur. Ceterum multorum, quibus huius Carmentis mentio fit, locorum nullus Isidori verba exhibet; cf. Serv. comm. in Don. IV 421. 2; Serg. ib. 519. 2; Pompei. V 98. 10; Cledon. V 26. 34; comm. Einsidl. 221. 30; cod. Bern. 207 p. XXIV.

S et DS Aen. 8. 402 — Is. XVI 24.

Thilo p. XLIII putat Isidorum et DS, cum uterque similia, partim cum Plinio (33. 81) congruentia, partim ab eo differentia praebeat, eaque talia, ut ex ipso Plinio eos pendere verisimile non sit, eodem auctore usos esse, qui ipse sua e Plinio derivaverit. Eadem fere est sententia Laemmerhirtii, qui de commentario aliquo antiquiore quam Servii cogitat. Sed cum ea, quae Isidorus plura praebet quam S, cum DS additamento consentiant, facile conicitur DS scholium integrum Isidori fontem esse. Thilo autem dicit eam, quam DS commentarii unus Floriacensis habeat lectionem cum Isidoro congruentem ex etymologiarum illa particula sumptam esse. Floriac. enim praebet ‚ad similitudinem arcus caelestis' pro ceterorum codicum his verbis ‚ad dissimilitudinem', ‚ad idisimilitudinem', unius libri manuscripti ‚ad iridis similitudinem'. Itaque coniecit Thilo auctorem DS commentarii medelam scripturae corruptae Servianorum codicum ex Isidoro petivisse, unde etiam reliqua additamenti verba sumpsisset. Probabilius est aliter rem se habere; recte negaverunt Thilo et Laemmerhirt S scholium esse exscriptum ab episcopo, quippe cuius particula plenior sit; secundum ea vero, quae usque adhuc de DS commentario eruta sunt, verisimile est DS scholii eam partem, quae cum Servii verbis congruere videbatur eis, qui S cum DS conectebant, omissam, cetera autem cum Serviano scholio coniuncta esse, qua conglutinatione facile pauca perierunt vel detruncata sunt. Quae cum ita sint, Floriacensis lectionem ex Isidoro fluxisse negamus, immo ad scholium integrum eam redire contendimus; quae coniectura confirmatur fonte primario, Plin. 33. 81, ubi haec exstant: ‚namque discurrunt in calicibus arcus caelestibus similes cum igneo stridore'. Eandem lectionem corruptam quam Serviani codices exhibent mythographi III 8. 14. Prima capitis pars sumpta est e Plinii alio loco 37. 31; quae sequuntur, e S geo. 3. 522 ‚defaecatius — metallis'. Nettleship p. 167 omnia Suetonio vel Plinio tribuit. Altera quam Thilo adnotat Isidori particula XVI 8. 6 e variis Plinii et Solini locis conflata est.

S et DS Aen. 8. 728 — Is. XIII 21. 16: cuius paragraphi initium sumptum est ex Oros. 6. 4. 7, finis e Solin. 15. 19. Cetera excepta etymologia congruunt cum DS scholio, quod ad rem

attinet. Neque vero dubito quin scholium, quod Isidoro ad manus fuit, admodum aliam formam habuerit; nemo non videt etiam Serviano scholio similem rem expositam esse: sed Xerxem dicit S nisum esse Araxem conscendere, DS Alexandrum Magnum. Cum duo scholia coniungerentur, DS verba mutata sunt, sicut persaepe fieri vidimus. Nihil iam in DS scholio legitur de Alexandro transgressuro fluvium; quod cum Xerxem fecisse dicat Servius, in additamento eadem verba ad Alexandrum pertinentia omissa sunt. Inde alia forma accepta verisimile est cetera quoque scholii verba genuina mutata esse. Accedit inusitata haec vox: ‚cui — fluvio — pontem fecit'; denique ex Isidori particula haud scio an concludi possit in scholio integro etiam Araxis etymologiam exstitisse, nunc deperditam.

DS Aen. 9. 605 — Is. XV 2. 5; adde Fest. p. 222. 2 et Paul. p. 201. 6; cf. Varron. de l. l. V 141.

DS Aen. 9. 694 — Is. XV 1. 35; adde Solin. 32. 40.

DS Aen. 10. 76 — Is. IV 11. 4 sq.; cf. XI 1. 28. Pauca suppeditavit Hieronymus M 25 p. 1349 A/B 686, cetera e scholiis compilata sunt, quae Varronianae memoriae plena esse constat; cf. S Aen. 9. 4 et DS geo. 1. 267. Vide etiam Funaiolium gramm. Rom. fragm. p. 345 al.

DS Aen. 10. 526 — Is. XVI 18. 13: Thiloni, qui p. XLV dicit Isidorum et scholiastam e fonte communi pendere, non assentior, cum DS scholium corruptum esse nemo non videat. Nam cum tria genera argenti vel auri poetam complexum esse DS dicat, signatum, factum, infectum, de duobus tantum explicat, quid poeta senserit, tertium omittens. Huc accedit, quod signatum non solet appellari id quod ‚in vasis et signis', sicut facile quivis cognoscet e copiis a Bickelio in thesauro linguae Latinae s. v. (1. 1071 sqq.) congestis. Praeterea scholiasta dicens ‚atqui talentum non ad numerum solet, sed ad pondus referri' adversatur illis ‚quibusdam', quos antea ‚signatum' ad ‚nummos' rettulisse nemo negabit Recte igitur locum, quem nescio quis imperite corrupit praeferens ‚signatum, quod in vasis et signis' verbis quae sunt ‚signatum quod in nummis', sanavit Masvicius Isidori particula usus. Quae sequuntur ‚quod et grave dicitur, id est massa', sunt Servii ad Aen. 6. 861 neque vero ex Isidoro Servianis inserta, ut suspicatur Lindsay ad Is. IX 2. 63: nam

Servio visum est interpretamento egere ‚aes grave', quo donatus esset Vergilius post librum sextum Augusto et Octaviae recitatum. (Cf. e. g. Hieronym. M 25 p. 1450 A 818: ‚talentum plumbi, quod nos manifestius exprimentes massam vel sphaeram plumbi interpretati sumus'. Apparet non eo sensu, quem Fest. P. p. 87. 8 exponit, aes grave ab eo adhibitum esse, quem sequitur Servius, sed significari ipsas massas, ut Serviano interpretamento utar. Opportunissime autem obvenit Isidoro hic Servii locus, quo adiutus confecit singularem illam Massagetarum etymologiam pro massa ponens ‚gravis' secundum S scholium citatum, pro ‚gravi' ‚fortis' ex aliis scholiis; cf. S Aen. 10. 207, DS Aen. 12. 458 al.

S et DS Aen. 11. 64 — Is. XX 11. 7, cf. S et DS Aen. 6. 222. Etymologiam capuli quae est ‚quod super capita hominum feratur' episcopus addidisse videtur collatis Paul. F. p. 53. 26 et Non. 7. 18.

DS Aen. 11. 114 — diff. verb. 160; cf. S Aen. 8. 532. Facile etiam Plauti versus, quem Isidorus solus exhibet, DS scholio integro attribuitur, cum Ioannes Kirchner progr. 1910 Brigae scripto ostenderit interpolatorem, quem dicit, cum complurium magnae vetustatis poetarum exempla assuisse, quos Servius manibus non tenuisset, tum (p. 15) duplo fere maiorem exemplorum Plautinorum numerum quam qui in scholiis Servianis reperiatur.

DS Aen. 11. 143 — Is. XI 2. 35, diff. verb. 522 originatio tritissima est, cf. S Aen. 6. 481; Tertull. de carnis resurr. c. 18; Augustin. de civ. dei. 20. 10, ib. 21, eiusdem quaestt. in heptat. 3. 20; serm. 241. 2; Hieronym. M 26 p. 179 C 197. itaque de auctore Isidori particularum certi aliquid statui non potest; nisi id, quod verba XI 2. 36 ‚quod iam stare non potest' ad Isidorum redire videntur.

S et DS Aen. 11. 144 — Is. XIX 31. 8.

DS Aen. 11. 211 — diff. verb. 227.

DS Aen. 11. 305 — Is. XIV 8. 39 et X 136.

DS Aen. 11. 329 — Is XI 1. 66: fons est S Aen. 1. 592.

DS Aen. 11. 476 — diff. verb. 373, etym. IX 5. 8 et 7. 13; quod de ratione, quae inter Isidori libros intercedat, exposuit Schenk p. 7, optime hoc exemplo confirmatur. Primum statuendum est Isidorum non a fonte scholii pendere, nimirum Gell. 18. 6, quod facile quivis ex ipsis verbis cognoscet, quae

longum est exscribere; neque ad Gellii fontem, quem Nettleship (Lectures and Essays p. 272) Verrium Flaccum esse dicit, se applicavisse demonstratur Pauli verbis p. 112. 27. Est tamen quoddam discrimen inter episcopi locos et scholium, quoniam ille nomen auctoris differentiae ,Melissum Grammaticum' affert a scholiasta non exhibitum. Neque vero haec res offensionem praebet, cum constet persaepe pro certis auctorum nominibus in plenioribus libris manuscriptis positas esse generales voces, velut ,quidam', ,alii'; argumento sunt ea Serviana scholia commentarii aucti, ubi in vulgatis codicibus legitur ,Donatus' vel ,Urbanus', in plenioribus ,alii' vel ,quidam'; cf. Thilonem p. XIV sqq. et Barwickium e. g. p. 143 sq. Alia exstat inter scholium et Isidorum diversitas; cf. diff. 373 fin.: ,matronae autem et virgines nubiles dicuntur, quae matres iam fieri possunt, quoniam' e. q. s. Haec ex alio aliquo fonte petita et verbis e scholio sumptis inserta esse cognoscitur et ex eo, quod qui inseruit hanc originationem matronarum quasi nubilium virginum quae iam matres fieri possint, valde depravavit scholiastae consilium, quippe qui opponere voluerit virgines nobiles eis quae per coemptionem in matrimonium convenerint, et ex eo, quod eadem redeunt Is. IX 7. 13 non cum scholii verbis coniuncta; Isidori errori favit varia lectio ,nobiles — nubiles'. Eidem fonti etymologiam matronae attribuo, quae est ,mater nati', DS verbis adnexa Is. IX 5. 8; ibidem alienam originem redolet vox ,tabulae matrimoniales', inventa, quantum video, nusquam nisi apud Iulium Firmicum (7. 12). Hanc compilandi rationem minime abhorrere ab Isidoro iam ostendimus. E Servii scholio Aen. 11. 581 Isidorum nihil exscripsisse moneo contra Hosii adnotationem ad Gellii l. c. neque e Suetonio; cf. Reifferscheidium p. 280.

S et DS Aen. 12. 7 — Is. X 159, diff. 340; manifestum est Isidorum cum his scholiis cohaerere. Dixerit quispiam non minus similia quam scholia esse Isidoro Pauli verba p. 105. 27 et Festo fortasse deberi etymologiarum differentiarumque particulam, praesertim cum multa Aelii Stilonis fragmenta apud Festum, paene nulla — cf. DS geo. 1. 75 — in commentariis legantur. Cui etsi magnopere adversari nequeo, utpote qui Festum ab episcopo adhibitum esse putem, attamen pauca contra

dicenda sunt. Nam ubicumque similia inveniebamus apud Isidorum et in scholiis et apud Festum, ita diiudicandum erat, ut fere semper e scholiis Isidorum hausisse probabilius nobis videretur quam e libris de verborum significatu. Deinde si accurate Pauli et Isidori verba comparabis, consensum ad singula verba pertinentem non reperies: hic ‚insessor viarum', ille ‚obsessor' exhibet. Contra et ‚insidiator' et etymologia, quae est ‚a latendo' prorsus eadem apud Isidorum exstant, in pleniore quidem contextu. Hoc autem argumentum non viget, cum id quod supra saepe haud temere statuimus, secuti cum alios viros doctos in scholiis Vergilianis perscrutandis versatos tum Thilonem et Barwickium optime de his commentariis meritos, in hunc quoque locum cadere nobis videmur asseverare posse. Animadvertas quaeso, quomodo plenioris scholii verba discissa sint, cum ad latronis vocem interpretandam primo posita sint perpauca DS verba, arte coniuncta cum Servianis, quae sequuntur; haec excipiuntur ab alia DS scholiastae originatione latronis vocabuli, quorum verborum posterior pars ‚ergo — accipiendum' prope accedit ad Servianae adnotationis primam partem: ‚modo venatoris'. Deinde DS verbis alia etymologia a Servio prolata e memoria Varronis, cum versu Plautino ornata assuitur, cui agmen claudens aliud exemplum e Plauti Bacchidibus sumptum a DS adicitur. Quem in ordinem cum scholiastarum verba redacta vel potius hoc modo confusa sint, apparet facillime fieri potuisse, ut pauca omitterentur atque eam iacturam facilius quam S acciperet DS scholium, cum Servianum integrum praeberent semper libri vulgati. Porro eius rei velim rationem habeas, quod in Servianis verbis Varronis nomen legitur, deest apud DS, quamquam verba, quae sunt ‚quod ut — faciendas' Varronis de l. l. 7. 52 esse ostendit Georgius Goetz in script. hebd. Berol. 1886 col. 782. Omissum igitur est Varronis nomen in scholiis S et DS conectendis, qua in re DS scholii prima pars discindebatur, cum ex Isidori et Pauli verbis collatis eluceat coniuncta fuisse aliquo modo ‚insidiatoris' et ‚qui circa vias sunt'. Hac in discerptione conicio deperdita esse Aelii verba quae ex alio Varronis loco fluxisse putat Goetz l. c.

DS Aen. 12. 181 — VIII 2. 2; diff. verb. 486; cf. S Aen. 8. 349. Isidorus pendet ex Augustin. retract. I 12. 13; cf. de vera relig.

113, de civ. dei 10. 3 sq. et Lactant. inst. div. IV 28. 3, unde etym. X 234 et diff. 486.

DS Aen. 12. 413 — Is. XVII 10. 3.

DS Aen. 12. 753 — Is. XIV 4. 21 et IX 2. 87. Ex eodem fonte, Solin. 2. 11 pendent Isidorus et scholiasta, cf. Klussmannum l. c. p. 33 et Philipp p. 41.

DS buc. 4. 38 — Is. X 281, fons est S Aen. 4. 72.

DS buc. 6. 27 — Is. VIII 11. 87, cf. DS Aen. 8. 314, geo. 1. 10 et 11; quae tritam fauni etymologiam sequuntur ,quod voce — futura', Isidorus e S Aen. 7. 81 exscripsit. In eodem libro DS scholium hic significatum desideratur; eodem scholiasta DS Aen. 8. 314 relegare videtur.

DS buc. 8. 24 — Is. X 141; diff. 296; cf. praeter DS Aen. 4. 158 geo. 4. 25, ubi versus ille Lucilianus (452) citatur, qui inertis adiectivi etymologiam continet; cf. etiam Paul. Festi p. 97. 28; Ciceron. de fin. 2. 115. Itaque certi quid de fonte Isidori particularum statuere nequeo; haud scio an scholio pleniore usus sit.

DS buc. 10. 19 — Is. X 200.

DS geo. 1. 10 — Is. XV 4. 8.

DS geo. 1. 126 — Is. XV 14. 4. Isidorus gromaticos (cf. p. 108. 10; 153. 21; 166. 9. Lachm.) sequitur, qui vulgarem ,cardinis et decumani' differentiam praebent, non DServii ab eis abhorrentem.

DS geo. 1. 135 — diff. 9. DS verba ,sane absconditum — consum' e postea insertis esse videntur, cum ad scholii verba antecedentia, quae Thilo haud scio an recte tribuit Servio, non ad versum interpretandum pertineant.

DS geo. 1. 137 *nomina—notamina* — Is. I 7. 1; sed plura Isidorus haurire potuit e Cledon. V 10. 8; cf. Serv. IV 405. 12; Cassiodor. comm. de orat. et de octo part. orat. M 70 p. 1220 B 592.

DS geo. 1. 260 — diff. verb. 440: Isidori verba aliunde hausta sunt, cf. Gell. XVI 14. 1; Non. 441; Fest. 268. 2, ex quo episcopum pendere puto, cum constet neque Gellio neque Nonio eum usum esse. Suetonii diff. p. 285 non fons est Isidori, quippe qui nomen auctoris differentiae afferat, a Suetonio omissum; cf. etiam Gell. X 11, Macrob. VI 8. 11 sqq.; inc. de diff VII 527. 5 (Keil.); Charis. I 204. 25.

DS geo. 1. 262 — Is. X 198; dubito, num recte Thilo locos aliquo vinculo inter se coniunctos esse dixerit; nam altera etymologiae pars longe abest a scholii verbis. Accedit, quod saepius adiectiva ‚obtusus et hebes' conexa leguntur; cf. Lactant. inst. div. III 14. 16; Columell. 4. 24; Liv. V 18. 4. Isidoro igitur ipsi attribuerim hanc particulam, cum aliae quoque libri decimi etymologiae ad ipsum episcopum redire videantur.

S et DS geo. 2. 146 — Is. XIII 13. 6: Gropius l. c. p. 5 putat Isidorum pendere e Plin. 2. 230; sed hic dicit boves Clitumni aqua candidos fieri, non maximos, sicut ait Isidorus. Itaque Huelsen apud Pauly et Wissowam s. v. Clitumnus mavult Isidorum Vergilii versu usum esse, ubi leguntur haec: ‚maxima taurus victima'. Quod cum ille recte coniecisse videatur, Isidorus non solum versum, sed etiam scholium adhibuit, et id DServianum, non Servianum, cum Servius non lacum dicat Clitumnum, sed fluvium. Ad eundem Vergilii versum spectat Isidorus Goth. chron. II p. 267. 13 sq.

S et DS geo. 2. 258 — Is. XVII 9. 23, cf. DS buc. 8. 12.

DS geo. 2. 340 — Is. XI 1. 4; etsi eandem etymologiam diff. rer. 47 Isidorus dicit se haurire e Lactantio (cf. inst. div. II 10. 3, de ira 10. 43), tamen hoc etymologiarum loco verisimile est eum duobus fontibus uti, fortasse scholio citato. Cf. etiam Hieronym. M. 25 p. 973 B 198; Cassiod. in ps. 139. 1 (Erdbrueggeri diss. p. 33).

DS geo. 3. 306 — Is. XIX 27. 1.

Omnes locos, quos adhuc cum DS scholiis comparavi, Isidorum debere conicio commentario DS integro exceptis eis, quos a Thilone scholiis attributos aliunde fluxisse supra dixi. Nam cum multa exempla integra, quae primum contuli, alia tertio loco allata ad Isidorum non redire certum sit, hunc potius sua ex illis scholiis sumpsisse, asseverari potest ea quoque ab Isidoro exscripta esse, quae non pleniorem contextum quam congruentes Isidori particulae praebent. His denique eos Isidori librorum locos addere non dubitavi, qui cum similibus scholiis non prorsus congruunt, quamquam non ignoro consensu et rei et verborum opus esse ad fontes episcopi statuendos. Ne temere videremur contendere illis scholiis Isidorum usum esse, plura argumenta

attulimus, quibus nixi negavimus nos prohiberi quadam Isidori et scholiorum differentia, quominus ex his illum pendere putaremus; nec non aliquot huius modi exemplis ostendimus saepe scholiorum fontem non propius ad etymologiarum verba accedere probabile esse quam DS scholia ipsa.

§ 7. Inde ad aliam rem progrediamur. Haud pauca S scholia occurrere vidimus, quae cum additamentis Isidorus exscripsisse videtur neque desunt, ubi Serviano simile, sed plenius DS interpretamentum apud Isidorum redeat. Cum Serviana commenta, si leviores quasdam mutationes (cf. Barwickium p. 127) exceperis, integra esse servata constet, non de S scholiis deperditis cogitari potest. Itaque Servii commentarium si DS additamentis non auctum haberemus, multos Isidori librorum locos e Servii fontibus haustos esse suspicaremur, quorum in loco nunc haud pauca DS scholia ponenda esse ostendimus. Intercedit igitur ea ratio inter S et DS scholia, ut saepe Servii fontis verba DS commentarius exhibere videatur. Hanc rem alii viri docti aliter explicare conati sunt. Ribbeckii coniectura non probata est, cum S et DS commenta, cur non unius hominis esse possint, exposuerint Thilo in praefatione, Barwick in commentatione saepe allata, Kirchner in programmate citato. Tum ea sententia exstitit secundum quam S et DS ex eodem fonte pendere dicuntur, nimirum e Donati commento Vergiliano. Georgii autem l. c. p. 12 putat ad eandem auctoritatem vel ad easdem DS et Donatum se applicavisse; alia denique est explicatio Lammerti in diss. inscripta ‚De Hieronymo Donati discipulo‘ (comm. philol. Ienens. vol. 9 fasc. 2) 1912, cf. p. 41 sqq., qui quaestionem disputationibus tritam atque implicatam simpliciter et recte mihi quidem videtur solvisse. Talem consensum inter Donati commentum Terentianum Vergilianique vestigia apud Servium atque Hieronymum inventa et Servii Danielis commentarii reliquias ostendit, ut ei concludenti assentiar Servii additamenta ad Donatum redire. Id quod nobis assecuti esse videmur, aptum est, quo Lammerti sententia confirmetur. Negaverint enim forsitan ei DS commentarium Donati esse, qui Isidorum putant adhibuisse DS scholiorum fontem, non ipsa; neque esse verisimile, immo certe

negandum episcopo ad manus fuisse antiquiorem commentario Vergiliano Donati, velut Aspri, quamquam Wessner (de Aemilio Aspro p. 5) nescit an huius scholia exstiterint usque ad quintum vel sextum saeculum. Contra eos qui hoc modo Lammertum suo iure impugnaverint, me demonstravisse censeo DS commentarii originem Donatianam eo quidem stabilitam esse, quod non est, cur dubitemus, quin DS scholia ipsa adhibuerit.

Nunc quaerendum est, qua ratione fuerint inter se coniuncta S et DS scholia Isidori temporibus, qui haud raro, ut vidimus, verba ita conexa praebet, sicut nunc in pleniore commentario leguntur. Thilo contendit post Isidorum Serviana cum additamentis copulata esse, idque recte. Nam saepe Isidorus exhibet Serviana omissis DS verbis, quae illis aut inserta vel arte adnexa aut eius pretii sunt, ut episcopus, si coniuncta iam legisset, ea non omissurus fuerit. Quomodo autem sunt explicandae illae Isidori particulae, quae ex S et DS verbis compositae sunt? De his locis aliter nos iudicare atque Thilonem iam exposuimus, cum talia additamenta ex Isidoro fluxisse negemus; quorum exemplorum haud parvus numerus e DS commento integro exscriptus est. Nam eas partes, quas congruentes Isidorus et Servius praebent, e Donato uterque sumpsisse putandus est. Quae exempla apta sunt, unde cognoscatur, quantopere Servius Donati commentarium exscripserit. Incertum vero est, num omnes locos, quos huc pertinere dixeris, ex uno fonte episcopus derivaverit, quoniam ex aliis locis elucet saepe eum varios scriptores in una particula conscribenda adhibuisse, non solum epitomas, sed etiam fontes earum, cf. supra p. 8 sqq. Itaque etsi saepe diiudicari non potest, utrum e DS scholio integro an ex utriusque verbis particula hausta sit, multi tamen loci certe ad DS redeunt, cf. e. g. Is. XV 1. 50 ‚in Italia — conditum' sunt Solini 2. 5; quae sequuntur ‚eo quod ibi fugiens latuisset cognominatum', sunt DS Aen. 8. 322: ‚et Vergilius Latium vult dici, quod illic Saturnus latuit *fugiens Iovem*' e. q. s. Hic tantum DS scholium exscriptum est, cum veri dissimillimum sit ‚fugiens' verbum episcopum ad Servii scholium e DS integro interpretamento ascivisse. Totum DS scholium exstare videtur Is. XIV 4. 18: ‚Italia - appellata' — Hieronym. M. 26 p. 355 A 427/8: ‚deinde-latuerit' — DS cf. S et

DS Aen. 1. 6. Idem de illo loco iudicandum est, ubi utriusque scholiastae verba exstant, dico S et DS Aen. 2. 7, quae conferas cum Is. IX 2. 75: ,Iovis et Eurymedusae filio', quae in S scholio desunt, leguntur apud Isidorum et DS, unde totum DS scholium translatum esse iure concluditur. Similiter res se habet Aen. 12. 395 — Is. X 72: hoc scholium non Servii proprium esse cognoscitur e Nonii p. 279, apud quem vestigia antiquorum scholiorum inveniri constat; Aen. 12. 519 — Is. IX 5. 26; Aen. 11. 554 — Is. VI 13. 3; buc. 9. 30 — Is. XIV 6. 42; Aen. 5. 734 — Is. XIV 8. 33; geo. 3. 190 — Is. V 38. 3, praesertim cum Isidorus non accurate cum scholio congruat et alia DS scholia huc spectent, cf. Aen. 1. 283; 2. 639; 3. 415; buc. 4. 37; 8. 27; denique confer S et DS Aen. 3. 699 cum Is. XIV 7. 5, cf. Turon. ad Aen. 3. 429. Talia exempla attuli, ubi de perpaucis verbis agitur, quae Servianis inserta et cum illis ab Isidoro exscripta esse videntur; in animo erat probare eius modi locos huc referendos esse, quos speciem interpolationis prae se ferre dicit B a r w i c k p. 139, cum ad Servii verba interpretanda putet pauca inserta esse. Facile autem talia ad pleniorem DS adnotationem redire possunt, cuius definitiones more commentatorum cum voce ,hoc est' instructae omittebantur a Servio breviatore Donati commentarii. Velim igitur DS adscribere Aen. 12. 559 ,nam immunis est — *munia'*; additamentum redit Is. X 140; cf. DS geo. 4. 244; Aen. 12. 530 — Is. IX 4. 21; ib. 3. 21, ubi a capiendo tritissima etymologia derivata est.

Recte nunc pleniori commentario alii quoque loci Isidoriani attribuuntur, licet ad verbum congruant cum S scholiis. Eo etiam progressum esse W e s s n e r u m p. 16 diximus, ut dubitaret, num Servii scholia omnino ab Isidoro adhibita essent; difficile autem ipsi visum est demonstratu. Iam ostendimus episcopum nonnumquam Servianam interpretationem pleniori anteposuisse. Etsi propter permulta DS scholia omissa quaestio persaepe diiudicari non potest, duo tamen argumenta neglegenda non sunt: constat Isidorum solitum esse se applicare ad scripta e fontibus primariis derivata, quorum in brevius contracta verba aptiora erant, quae in etymologias, differentias, de natura rerum libellum reciperentur. Satis habeo ad ea exempla relegare, quae B a r w i c k p. 121 contulit, unde apparet

a Servio partem negotii Isidoriani absolutam esse, nempe fontis excerpendi. Hinc fructum non cepisse episcopum cum sedulum in fontibus exscribendis, tum sollertem in eligendis veri dissimile est. Accedit, quod Servius haud raro praeter vel contra fontis verba suum iudicium secutus poetam interpretatus esse videtur. In commentario, ubi Donatum commemorat, longe plurimis locis impugnat, interdum non contemnendis argumentis usus, quamvis fieri possit, ut putemus praeter sententiam reprehensam eum exscripsisse aliam ex eodem uberi ‚munere conlaticio'. Quae cum ita sint, ei loci Isidoriani, qui cum Servianis congruunt, e Servii fonte exscripta esse putari non possunt nisi alia argumenta accedunt. Horum in numero cavendum est, ne illis Servianis locis similes habeantur, quos inveneris apud Donatum vel in Terenti commento vel in artibus grammaticis aut apud aliquem alium scriptorem, quem Donati commentariis usum esse dixeris. Huius modi unum quemque locum, qui et apud Donatum et apud S exstabat, fieri potest, ut debeat epitomae, non fonti. Nostro autem iure eos locos esse DS contendemus, quos aliquo modo diversos S et Isidorus praebent, ubi uterque eandem rem similiter explicat vel Isidorus plura exhibet quam S eaque talia, ut ex alio fonte ea fluxisse negemus. Hos locos permultos esse facile cognoscitur ex adnotationibus Thilonis, qui talem consensum cum ‚cf.' litteris significavit. In his autem sunt, quibus similia Isidorus praebeat, tamen aliunde hausta: S Aen. 11. 339 — Is. X 109: exscripta est glossa Placidi V 19. 16 = V 64. 1; cf. Varron. de l. l. 5. 119 ibique similes locos allatos.

S Aen. 1. 237 — Is. XIX 34. 5: fons est glossa Placidi V 11. 12 = V 59. 14; cf. S buc. 7. 32, Expl. ib., Bern. sch. ib. et buc. 8. 10; Prob. geo. 2. 18.

S Aen. 2. 69 — Is. XIII 12. 1: ‚aqua dicta, quod superficies eius aequalis sit'; adde ib. 14. 2: ‚altitudo — aequalitas' et XX 3. 1: exscripta sunt ex Ambros. Hexam. III 2. 8; Is. XIII 14. 1 et diff. verb. 66 cf. cum Hieronym. quaestt. hebr. in l. gen. p. 4 (ed. Lagarde Lips. 1868). Similia exhibent S geo. 1. 50 et 469; Aen. 8. 89.

S Aen. 6. 596 — Is. XI 1. 125 ‚in iecore — disputant' redeunt ad Hieronym. epist. 64. 1.

S Aen. 8. 453 — Is. XX 13. 3: est Cassiodori VII 160 sq. (Keil).

S Aen. 11. 913 — Is. XIV 4. 28 et IX 2. 109. Iustinus (44. 1. 2), non Orosius (I 2. 69), quod adnotat Zangemeister, et rem et verba suppeditavit.

Sed alios locos non dubium est, quin Isidorus e plenioribus scholiis hauserit, quam Servius nunc exhibet; sufficiet ea enumerare, quae Thilo non contulit cum Isidori locis, nisi eorum alio loco mentionem feci vel faciam:

S Aen. 1. 196 ,Graecum — dicitur' — Is. XIV 6. 32 ,Prius — divisa'; cf. S Aen. 3. 384.

S Aen. 1. 306 ,alma—alat' — VIII 11. 61; cf. diff. 498 et S Aen. 10. 252.

S Aen. 1. 314 ,quam Graeci— procreantur — Is. XIII 3. 1 ,hanc ὕλην — sunt'; cf. S Aen. 8. 601.

S Aen. 1. 400 — Is. XIV 8. 43; cf. S Aen. 5. 281; 6. 43; DS Aen. 3. 688.

S Aen. 2. 410 — Is. XV 8. 4; cf. DS Aen. 2. 290.

S Aen. 2. 649 — Is. XIII 9. 2 ,tria — finguntur' et diff. verb. 2 45; cf. additamentum Turonensis ad Aen. 8. 429 *,fulgus — findit'*, quod haud scio an Thilo ex Isidoro fluxisse putet. Et habet, cur de genuino DS interpretamento dubitet, cum prae ceteris libris manuscriptis Turonensis solus haec exhibeat. Neque vero hoc argumento prohibeor, quominus licet dubitanter sententiam proferam illis verbis codicis saepe optimam lectionem exhibentis (cf. Thilonem p. LXIV et Barwickium p. 123) scholii integri memoriam reservatam esse: nam primum apparet ex Isidori verbis ,ideo et cum ternis radiis finguntur' particulam ad hunc Vergilii versum spectare, ubi de ternis radiis fulminum sermo est; deinde Turonensis verba paulo pleniora sunt, quam etymologiarum et differentiarum loci, ubi verba *,cuneat id est'* desunt; denique ad hunc versum DS ut solet, plura interpretamenta profert, quorum unum in ceteris libris manuscriptis deperditum fortasse solus Turonensis servavit.

S Aen. 3. 102 — Is. I 41. 2 ,historiae — gestarum'; diff. 522 monumentum — gestarum.

S Aen. 3. 274 — Is. XV 1. 61.

S Aen. 4. 328 — Is. IX 5. 25 ,unde et hi — sequuntur'.

S Aen. 4. 482 ‚septemtriones - in axe sunt' — Is. III 71. 7; Isidori verba ei scholio respondent, quod S impugnare videtur. Et Donatum interdum reprehendi nomine non expresso ostendit Lammert l. c. p. 42.

S Aen. 5. 160 — Is. IX 3. 21. Quae sequuntur ‚dictus autem — capiat', eadem fere leguntur apud [Palaemonem] V 536. 38, cf. etiam Paul. F. p. 65. 27 et Cassiod. in ps. 2. 2.

S Aen. 5. 324 — Is. XI 1. 114.

S Aen. 6. 152 ‚apud maiores — sepeliebantur' — XV 11. 1, cf. S Aen. 5. 64 et 11. 206. Marquardt libri qui inscribitur ‚Römische Staatsverwaltung' vol. 3 edit. secundae p. 309 adn. 1 Servium, quae de more mortuorum in domibus sepultorum proferat, e larum cultu conclusisse putat; talia ipsa constat plurima apud DS inveniri.

S Aen. 6. 216 — Is. XVII 7. 34 ‚antiqui — odoris sui', cf. S et DS Aen. 3. 64 et DS Aen. 4. 507; etsi his locis scholiastae aliam explicationem ‚cyparissi funereae' dant, tamen facile conici potest in Donati copioso commento eam exstitisse, quam S l. c. ab Isidoro paulo differentem profert.

S Aen. 6. 429 et 11. 28 cf. cum Is. XI 2. 32.

S Aen. 6. 748: ‚rotam . .] Ennii' — Is. XVIII 36. 3, cf. Laemmerhirt p. 333.

S Aen. 7. 53 — Is. XI 2. 13, cf. S buc. 8. 39. Dirksen l. c. p. 195 potius e scholio quam ex Ulpian. frg. 11. 28 arbitratur Isidorum pendere; adde Fest. p. 296. 18 cum Pauli p. 297. 2.

S Aen. 7. 568 ‚spiracula . .] — spirando' — XIV 9. 2, cf. Plin. 2. 208, quo DS fortasse usus est. Quae in Turonensi exstant *‚quidam — reddit'*, non ex Isidoro exscripta esse videntur, sed haud scio an DS scholii deperditi reliquias praebeant.

S Aen. 7. 776 ‚ignobilis] non vilis, sed ignotus' — Is. X 146 ‚ignobilis, eo quod sit ignotus et vilis' e. q. s.

S Aen. 8. 624 ‚. . ocreas] *id est* nitida tibialia. — Is. XIX 34. 5'

S Aen. 8. 696 ‚Isis — esse' — VIII 11. 84; tota particula e DS exscripta esse videtur, non ex Augustin. civ. dei. 18. 3 (p. 260. 26 sqq.) neque ex 18. 39 (p. 315. 14 sqq.).

S Aen. 8. 698 ‚quia — sagacius' — Is. VIII 11. 49 et XII 2. 25, ubi non putaverim Hieronym. M 24 p. 26 C 12 adhibitum esse.

S Aen 9. 368 ‚quia Romani—diximus‘ — IX 3. 51, cf. DS Aen. 11. 500 et 503: *‚Varro turmam triginta sex equites posuit‘*. Varro autem de l. l. 5. 91 ‚turma‘, inquit, ‚terima ... quod terdeni equites ... fiebant‘. Errorem numeri militum, qui turma comprehendebantur, fieri potuisse elucet e Veget. 2. 14, ubi turmam compositam e 32 vel assumpto decurione 33 militibus esse affirmatur; cf Marquardtium l. c. vol. 2 p. 348 et Servium Aen. 11. 463: ... legio habebat decem cohortes ..., licet in his rebus accessu temporis ducum varietas semper mutaverit militiae disciplinam.

S Aen. 9. 392 — Is. XVIII 4. 4.

S Aen. 9. 773: ‚nam numeri‘ e. q. s. — Is. I 39. 3, cf. S et DS buc. 9. 45 et S Aen. 11. 599.

S Aen. 10. 170 ‚torvus . . . terribilis‘ — Is. X 269, cf. S geo. 3. 51.

S Aen. 10. 484 ‚sane cuspidem‘ e. q. s. — Is. XVIII 7. 11.

S Aen. 10. 682 ‚crudum] crudelem, cruentum‘ — Is. XX 2. 20, cf. S Aen. 5. 69 et 12. 507.

S Aen. 10. 706 ‚. . . ignarum‘ e. q. s. — Is. X 142. Multo similior est Gell. IX 12. 20 (unde Non. p. 129. 16); editor praef. p. XL ea ad grammaticum quemdam revocat, velut Probum, qui de verbis duplicem vim habentibus etiam Gell. VII 16 auctor sit. Cuius ex libris grammaticis facile in commentarios Vergilianos talia fluxerunt, quae verisimile est DS accuratiora tradidisse quam S. Hic plura de hac re disputat ad Aen. 4. 72, unde pauca Isidorus exscripsit X 281 et 102.

S Aen. 11. 4 ‚nam graece — acies‘ — Is. V 31. 14.

S Aen. 11. 463 ‚legio‘ e. q. s. — Is. IX 3. 47.

S Aen. 11. 567 ‚sciendum autem‘ e. q. s. — Is. XV 2. 17 Serviano scholio respondet sequens particula; cf. S Aen. 2. 252, DS ib. 234.

S Aen. 11. 732 ‚stultus enim e. q. s. — Is. X 246.

S Aen. 12. 85. ‚nam aurigae‘ e. q. s. — Is. XVIII 33. 1.

S buc. 2. 11 ‚omnis medicina‘ e. q. s. — Is. IV 9. 5, cf. S buc. 10. 65.

S buc. 3. 16 ‚sic Plautus‘ e. q. s. — diff. verb. 340.

S buc. 4. 25. — Is. XVII 8. 11. Dioscoridis 10. 13 et 14, unde haec verba fluxisse dicit Stadler l. c., nihil tradunt de amomo in Syria nascente. Quod haud scio an Isidorus e ple-

niore scholio hauserit, etsi S buc. 3. 89 eodem modo atque buc. 4. 25 Assyriae mentionem facit. Cf. Plin. 16. 135.

S geo. 1. 47 ‚seges modo terra' — Is. XV 13. 8, cf. Fest. 460. 22.

S geo. 1. 84 ‚quisquilias' — Is. XVII 6. 28.

S geo. 1. 403 ‚noctua' e. q. s. — Is. XII 7. 41.

S geo. 2. 468 — Is. XV 13. 4.

S geo. 3. 383 — Is. XIX 23. 4. Dressel p. 34 cogitat de Suetonio huius particulae auctore.

S geo. 389 ‚pullis nigris' — Is. XII 7. 5 nisi tota particula exscripta est e glossa Placidi V 37. 37 = V 95. 26 = V 139. 6.

S geo. 3. 458 febris e. q. s. — Is. IV 6. 2.

Praeterea e pleniore commentario saepe Isidorus pendet, ubi Thilo Serviana scholia exscripta esse dicit. Id quod in multo plures locos cadere suspicamur neque vero demonstrare possumus, ex contextu Isidoriano haud paucorum locorum pleniore quam Serviano neque aliunde aucto, quem Thilo neglexit, colligendum est. Conferantur inter se haec:

S Aen. 1.85 procella e. q. s. — Is. XIII 11. 22, cf. Non. p. 152.

S Aen. 1. 283 lustris e. q. s. — Is. V 37. 2 et de nat. rer. 6. 6, cf. S et DS Aen. 8. 183.

S Aen. 1. 688 ‚venenum' e. q. s. — Is. XII 4. 41, cf. S et DS Aen. 4. 2; Cassiod. in ps. 13. 7. Isidorus scholio deperdito usus est.

S Aen. 1. 740 ‚proceres' e. q. s. — Is. IX 4. 17, adde DS Aen. 3. 58; cf. Goetzium, qui libri, qui inscriptus est ‚der liber glossarum' (1891) p. 279 e Donati commentario dicit fluxisse hanc glossam: ‚proceres varra dixit ligna esse tectis prominentia, quod procedunt extra parietis sic appellata'.

S Aen. 2. 713: ‚tumulus] modo terra tumens, alias sepulcrum' — Is. XIV 8. 21; XV 11. 2; I 7. 15; cf. S et DS Aen. 3. 22.

S Aen. 3. 580 — Is. XIX 6. 6.

S Aen. 4. 605 — Is. XIX 2. 2; XV 6. 8; cf. S Aen. 6. 412.

S Aen. 5. 145 — Is. V 27. 13; XVIII 32; XV 2. 46. Adde S Aen. 1. 54. geo. 3. 104. Varronis de l. l. 5. 153.

Conferas inter se haec:

S Aen. 1. 54	Isid. XVIII 32	Varro l. c.
.. unde vero erumpunt quadrigae, carceres dicimus numero tantum plurali ..	in circo unde emittuntur equi carceres dicuntur ... ita hic equi cohercentur, ne exeant antequam signum emittant.	in circo primum unde mittuntur equi dicuntur carceres .. dicti quod coercuntur equi, ne inde exeant antequam magistratus signum misit.

Cf. Cassiod. ps. 141. 1. Cum Kettner (stud. Varron. p. 1 sqq.) Isidorum recta via Varronis libris usum esse negaverit, concludendum est episcopum e fonte Servii pendere. Adde Kirchneri l. c. sententiam de veterum auctorum exemplis a DS allatis: ‚licet iis multa antiquioris meliorisque lectionis atque doctrinae insint frustula‘ (scil. quam Servii).

S Aen. 6. 134; cf. ib. 154. 295 — Is. XIV 9. 6.

S Aen. 6. 204 — Is. XVI 18. 1; cf. Cassiod. ps. 71. 15.

S Aen. 6. 577 — Is. XIV 9. 8.

S Aen. 8. 435 ‚si in pectore hominis‘ e. q. s.; ib. 438 ‚hoc autem caput‘ e. q. s. — Is. VIII 11. 73.

S Aen. 10. 163 — Is. XIV 8. 11; cf. S Aen. 7. 641.

S Aen. 10. 538 — Is. XIX 30. 4.

S Aen. 11. 124 ‚ut est perfectus‘ e. q. s. — Is. X 202 cf. S Aen. 2 642.

S Aen. 11. 516 — Is. XIV 8. 26.

S Aen. 12. 100 — Is. XX 13. 4 et X 57; cf. S Aen. 12. 611. Sed posterior pars Isidori locorum non tam similis est Servianis scholiis, ut ex his episcopum pendere putemus. Conferas autem Porphyr. ad Horat. sat. I 2. 98, ubi fere eadem Pseudacro. Neque S neque Isidorus pendent ex hoc scholio Horatiano; fortasse scholiastae Vergiliani antiquioribus Horati commentis usi sunt, quoniam a DS Aen. 11. 316 commemoratur Clanarius quidam, quem iam Osannus symb. litt. 2. 329 coniecit eundem esse atque Claranum, cuius in scholiis Horatianis mentio fit.

S buc. 4. 23 — Is. XX 11. 6.

S geo. 1. 74 ‚frumenta' e. q. s. — Is. XVII 3. 2 et diff. verb. 247: cum Isidorus fruges et frumenta discernat, quam differentiam Servius ad Aen. 1. 178 exstare negat, episcopus fontis Serviani verba exhibere videtur.

S buc. 8. 27 — Is. XII 2. 17, cf. Bern. sch. et Explanat. I et II ib.; adde glossam libri glossarum V 206. 8: ‚quadrupedes volucres Donatus ait gripides infestum equis aput Hyperboreos oriundum' et frgm. Bobiens. VII 543. 15. Isidori verba quae sunt ‚nam et homines visos discerpunt' e Solin. 15. 22 fluxerunt.

S buc. 10. 20 — Is. XII 7. 80; XVII 5. 13; diff. verb. 595.

S geo. 1. 48 ‚quia non sunt' e. q. s. — Is. XIV 6. 12.

S geo. 1. 58 ‚fibri' e. q s. — Is. XII 2. 21.

S geo. 2. 242 — Is. XX 14. 12.

Iam ad calcem pervenimus. Breviter liceat quaestionem comprehendere. Pauca de eis, qui de nostra re scripserint, praefati ostendimus eos errare, qui putant Isidorum usum esse commentorum Vergilianorum fontibus, non ipsis scholiis; immo contendimus episcopum exscripsisse et Servii scholia et DS additamenta, quae ex Isidori libris fluxisse negamus. DS scholiis non dubitavimus attribuere praeter locos ad verba exscriptos alios, qui cum scholiis non prorsus congruunt, in rem nostram convertentes Barwickii commentationem, qua demonstravit DS additamentis, quae vocabantur, reliquias unius copiosi commentarii post Isidorum cum Servio confusi exhiberi. Sententia a nobis prolata optime ad Lammerti disputationem quadrat qui DS commentario subesse contendit Vergilianum commentum Donati, quod adhuc deperditum putabatur; argumenta apta, quibus illius opinio confirmetur protulisse nobis videmur. Praeterea ceteris scholiis Vergilianis usi, quippe quae cum Donato cohaerere constet, Donati commento Terentiano, scriptis Hieronymi, quem Lammertus magistro multa debere ostendit, scholiis Statii et Lucani carminibus adscriptis, quae non solum ex Servio, sed etiam ex eius fonte exscripta praebent, — tamen scholia Lucaniana etiam ipsa Isidorum inspexisse atque transtulisse obiter ostendimus contra Philippum l. c. p. 56 sqq. et 88 —, alias Isidorianas particulas Donati commento Vergiliano attribuere in animo habuimus; sed cum hac dissertationis

parte nimium spatium exposcatur, eam si occasio tulerit, alio tempore publici iuris faciemus.

Id per totam quaestionem pro certo habuimus Isidorum perpauca de suo addidisse, qua de re aliter neque recte videtur iudicare Fridericus Muller diss., quae inscribitur ‚de veterum imprimis Romanorum studiis etymologicis‘ (1910) Traiecti ad Rhenum p. 144, ubi ‚ἐτυμολογικοί (scil. post Varronem)‘ inquit ‚id tantum sibi sumpserunt, ut tradita traderent vel corrigerent, de suo pauca tantummodo — et qualia — adderent. Isidorum unum excipere par est, qui permultis etymis nos ditavit, quae si non meliora sunt, attamen satis superque a superioribus distant, ut eum de etymologia romana suo Marte bene promeritum esse ingenue fatendum sit‘. Immo congessit, servavit, tradidit etymologias superiorum, imprimis scholiastas secutus, opere ‚conscripto stilo maiorum‘.

Vita.

Natus sum Georgius Homeyer a. d. IX Kal. Iun. a. MDCCCLXXXVIII in vico Hannoverano, cui nomen est Emmerthal, ad Visurgim sito, patre Adolfo et matre Maria e gente Sell, quam mihi puero praematura morte abreptam esse valde lugeo. Patrem et novercam Elisam e gente Bartels adhuc superstites veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis instructus in ludo publico, deinde privato per sex annos gymnasium Hamelense frequentavi. Inde vere anni h. s. VII maturitatis testimonium assecutus Georgiam Augustam adii, ut studiis latinis, graecis, romanicis incumberem. Proseminarii fui sodalis Pohlenzio moderante; praeter hunc virum doctum praeceptores mihi fuerunt Gottingenses Baumann, Bousset, Busolt, Heitmueller, Koerte, Leo, Leo Meyer, Schwartz, Viertel, Wackernagel, qui permisit, ut exercitationibus grammaticis interessem aestate MCMVIII. Eodem tempore ludis gymnasticis operam navavi, unde hieme subsequenti γυμναστής profectus Berolinum me contuli. Per ter sex menses arti educandi studens in vico suburbano, cui nomen est Dahlem, paucos rexi alumnos gymnasii Arndtiani, quod vocatur; licebat scholas audire, quas habebant viri doctissimi Diehls, Ebeling, Geiger, Eduardus Meyer, Norden, Guilelmus Schulze, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff. Iam Ienam migravi, ubi usque ad hoc tempus me docuerunt viri clarissimi Desdouits, Diehl, Eucken, Goetz, Hirzel, Hoepffner, Liebenam, Lietzmann, Michels, Nohl, Stoy, Weinel, Wiese. In seminarium philologorum me receperunt Diehl, Goetz, Hirzel, in romanicum Wiese, Hoepffner.

Omnibus his viris doctis iustas et nunc ago gratias et semper habebo, maximas Georgio Goetz, qui ut hanc quaestionem instituerem, me commovit atque in dissertatione conficienda benigne adiuvit.